
image
not
available


image
not
available

CAROLO . MARIAE . ROSINIO

PVTEOLORVM . EPISCOPO

APOSTOLICIS . TEMPORIBVS . INVIDENDO

CVRIAE . DE . REGNI . NEGOTIIS . CONSVLENTIVM

XXIV VIRO

REGIAE . SOCIET . BORBON . PRAESIDI

INTERPRETANDIS . HERCVLANENSIBVS . VOLVM.

PRAEFECTO

VIRO . OMNIGENA . ERVDIT . SPECTATISSIMO

ATQVE . STVDIOSAE . IVVENTVTIS . MOECENATI

HOC . ANTIQVARII . STVDII . SPECIMEN

IOSEPHVS . TACCONIVS

VIRTVTI . EIVS . SAPIENTIAEQVE . DEVOTVS

OBSEQVENTIS . ANIMI . ERGO

D. D. D.


image
not
available


image
not
available


image
not
available


image
not
available

inauditum, inconditumque chaos informarent (1). Ut vero tandem unum aliquid congererent, quidquid diversissimum erat *syncretismo* coniunxere, novumque illud ex omnibus philosophiae placitis depromptum, Eclecticum condiderunt institutum; quod tandem post Servatoris nati tempora, ad suum usque culmen evectum, non modo apud Alexandrinos, sed apud Iudaeos etiam, et Christianos invaluit (2). Tot vero denique dogmatum inter se discrepantium confusio, cum simplicissimis, sanctissimisque Christianae religionis institutionibus coniuncta, adeo virorum animos implicuit, ut cum de vero Numine, miseranda eorum temporum superstitione disputare voluissent, *cumque suam ipsorum, quam sectabantur philosophiam introducere in Ecclesiam conati essent, ipsam pollucrint* (3), et in haeresim quam turpissimam saepe inciderint. Merito igitur aiebat Tertullianus; *ea est materia sapientiae saecularis, temeraria interpres divinae naturae, et dispositionis, ipsae denique*

(1) Bruch. Hist. Philos. Vol. I. L. 2. fol. 2. et alibi, cui Cl. Ioan. Andres assentitur in Hist. Liter. de Philosoph. Eclect.

(2) Bruch. loc. cit. cap. ult.

(3) Origen. in Ios. Homelia VII.

haereses a philosophia subornantur (1). Et quamquam philosophicis omnibus institutis unà commixtis, taeterrima illius aevi debeatur labes, nil tamen Pythagoricâ potius scientiâ, haereseos argumentum extitisse videtur. Ubique enim obscurissima symbola, ubique demonstrationes arcanas, aenigmaticas expositiones, magicis μυστηριοις refertas (2), et abditissima sophismata, sacrum undique horrorem spirantia, prae se ferebat; ita ut merito Anonymus ille apud Stobaeum dixerit, *Pythagoreorum symbolicum doctrinae genus, ubi tamquam in sacra initiatione vox silentio permixta est, et e Pythagoricis symbolis, quod dici videtur, absconditur, et quod absconditur, intelligi videtur* (3).

Neque tamen Aegyptii philosophicis tantum, ita permixtis, turbatisque studiis, sed magicis etiam (4), *e quibus summa literarum gloria antiquitus petita* (5),

2

(1) Tertull. de Praescript. Adv. Haer. cap. 7.

(2) *Certe Pythagoras, Plato etc. ad hanc* (magiam) *discendam navigavere... hanc praedicarunt.* Plin. L. 30. cap. 1. Iamblic. cap. 4.

(3) Sermo 5. fol. 69.

(4) Diod. Sic. L. 2. cap. 3, et Alex. ab Alex. Dies Gen. L. 2. cap. 25.

(5) Plin. Hist. Nat. L. 30. cap. 1.

et cabalisticis, vetitisque artibus imbuti, humana divinis, superstitiosa religiosis, veneranda sacrorum codicum scripta gentilium somniis immiscentes, indignissimam, infandamque doctrinam constituere conati sunt. Multos igitur haereticorum principes in tanta rerum congerie Aegyptus eduxit, qui passim apud ecclesiasticos scriptores memorantur. Carpocrates *fuex totius haereseos* (1), *qui ex una omnium philosophorum schola, carnis resurrectionem negabat* (2), et antiquos religionis codices reiiciens, nil nisi hominem esse Christum adfirmabat. Valentinus, Platonicorum sectator, qui Aeonum genealogiâ suum efficiebat Numen, *Pleroma* vocatum (3). Marcus, qui rerum omnium perfectionem in viginticuatuor literis ponebat, aiebatque Christum per umbram, et non in corpore passum fuisse (4); aliique quamplurimi extiterunt, qui per universam fere terram conspersi, Christianam religionem foedissimis erroribus cumula-

(1) Baron. Annal. Vol. II. an. 120 cap. 24.

(2) Tertull. Praescript. cap. 7.

(3) Epiph. Haer. 31. Tertull. loc. cit. et cap. 33, aliique.

(4) Philosir. de Haer. nom. *Marcus*, et Pignor. Mens. Is. f. 84. ubi ait; *Plerique principes sectariorum veterum Aegyptii fuerunt, in his Marcus* etc.

bant. Et primas quidem inter illos obtinere videtur Basilides (1), vir quoque Alexandrinus, celeberrimi Simonis Magi discipulus emeritus, qui, quasi ex pestifero fonte erumpens, Hadriani imperatoris temporibus suos explevit annos (2); *et secretiorum quorumdam mysteriorum assimulatione, dum portentosas fabulas, et impii erroris plenissimas comminiscebatur, conatus suos in immensum intendebat* (3). Quaenam ille scelestissima dogmata dictaverit, apud Baronium, qui ea e Patribus collegit (4), videre est; universa tamen suarum doctrinarum ratio, eum Pythagorico-Platonicae, sive Eclecticae illius temporis philosophiae, peritissimum fuisse demonstrat. Atque ut linquam silentium illud vere Pythagoricum (5), quo Basilides proprias doctrinas operiri volebat, quid,

(1) Irenaeus L. 1. cap. 23, aliique Patres, et Euseb. Hist. L. 4.

(2) Contendunt eruditi de tempore Basilidis, haec tamen communis opinio. V. Io. Bapt. Coteler. in ep. Ignat. ad Trall. et Renat. Massuetum ad Irenaeum f. 59. §. 112.

(3) Eus. Hist. L. 4. cap. 7.

(4) Baron. Annal. Vol. II. fol. 91.

(5) De silent. Pythagorico V. Laert. et Iamblic. in Vita Pyth. Philostrat. in Vita Apollonii, etc.

cedo, mos ille suus figuris mathematicis (1), et numeris (2) divina exprimendi, nisi e Pythagoricis desumptum? Quid principium illud omnium *triunum Ialdaboth*, tribus nominibus portentosis in triangulo expressum (3), nisi de *Mente* sive *Intelligentia* Pythagoreorum sententiae, cum Iudaicis institutis commixtae? Quid Deus ille in septem coelos divisus, nisi septenaria Pythagorica Minerva, praecipuo Aegyptiorum cultu exornata (4)? Quid Angeli septem, Numinis Basilidiani sectatores, nisi septem planetarum orbes, sive Pythagoricae Mentis ministri? *Est dux, et princeps rerum omnium Deus, septuplo entium choro stipatus*, aiebat Plutarchus (5). At ne singula prosequar, quid νους e Basilidis summo Deo

(1) Mathematicis figuris usos esse Pythagoricos testatur Proclus in Theol. Plat. L. 1. cap. 4.

(2) Porphyr. in Vita Pyth. f. 202. ed. Cantabr.

(3) Kirch. Arithm. P. IV, et de Triang. Pyth. V. Porph. in eius Vita, et Chalcidium in Tim. Plat. cap. 29.

(4) Plut. de Iside f. 354. Porph. de Abstin. L. 2. Meurs. in Denar. Pyth. et Kirch. Arithm. P. VI. cap. 4, ubi diffuse de numero septenario.

(5) Confer Iablonsk. Panth. Aegypt. proleg. cap. 14. ubi de num. septen. Aegyptiis, et Mithriacis sacris devoto, doctissime disserit.

natus, nisi Platonicorum σοφια; quid Verbum, sive λογος, nisi quod ab ipsis Platonicis dicebatur ἡ Θεια ψυχη (1); quid denique illa Aeonum genealogia interminabilis, nisi congesta Aegyptiorum doctrina (2)? His itaque additis cabalisticis Hebraeorum commentis, veterumque, Simone praeceptore, indignissimis principiis, in eos omnes prorepsit errores, quos Ecclesiae patres non nisi frementes memorarunt.

Et undenam, nisi e magicis, et cabalisticis praeceptis, tot portentosae imagines barbaris inscriptionibus refertae, tot inconstantissima signa, nullo saepe adhibito consilio intrusa, tot denique contra varios malorum eventus, variis, selectisque gemmis amuleta conficta? Unde, nisi ab antiquis gentilium erroribus, et fabulis, sive Basilidiani illi fuerint, sive Gnostici, sive cuiuscumque huiusmodi haereseos cultores, tot vana symbola furati sunt? Nil magis enim apud superstitiosam antiquitatem invaluit, quam amuletorum, sive talismatum usus, quae fallacibus arcanorum titulis, veritatis speciem prae se ferebant; cunctis scilicet aetatibus, omnes fere gentes indignis-

(1) Ebermay. Capita Deor. cap. 8.
(2) Iablonsk. Panth. Aegypt. proleg. §. 28.

simum illud artificium adoptarunt, et rebus primum naturalibus usae (1), gemmas denique, imagines, sculptosque characteres, turpissimis frequenter adiectis indiciis, adhibuerunt (2). Et quid inde potius annulorum orbe inclusum, nisi quod ad praestigia, et incantationes valeret, quodque, stellà aliqua fortunata ascendente, mala omnia, et infortunia a domino averteret (3)? Adhuc famà nunquam peritura feruntur septem illi Iarchae, Indorum principis, annuli, septem stellarum nominibus signati (4), annulique Excesti, Phocensium tyranni, quorum strepitu de rebus suis admoneri solitus fuit (5). Quid Gygis annulos memorem, et Mydae, apud Platonem celebratissimos? Quid Hadriani illum magis haereticorum gemmis accedentem, planetis, signorumque coelestium characteribus repletum (6)? Nec sacra tantum arcana, astrorumque notae, huiusmodi

(1) Leonard. Vairo de Fascino cap. 13.

(2) Varro de Ling. Lat. VI. Turneb. Advers. 9. 28. Reichelti Exercitat. de Amuletis, etc.

(3) Kirchm. de Annulis, et modo cit. Reichelt. aliiq.

(4) Philostr. L. 6. cap. 13.

(5) Clemens Alex. Strom. L. 1. ex Arist. lib. de Rep. Phoc.

(6) Gorlaei Dactyl. et Chifflet. in Macar. Apistopist.

annulis insculpebantur, sed saepe ibides, boves, cynocephalos, et cuiuscumque generis animalia, sive monstra inter Deos adscripta (1), inanimatis etiam quandoque adiunctis, quasi certissima symbola, continebant; ita ut merito Momus ille Lucianeus (2) dixerit, αἰσχυνομαι δε ἰβιδας, και πιθηκους ειπειν, και τραγους, και ἀλλα πολλῳ γελοιοτερα... ἀ ὑμεις, ὡ θεοι, πας ἀνεχεσθε ὁρωντες ἐπισης, ἡ και μαλλον ὑμων προσκυνουμενα; Quae primum superstitionis deliramenta, ex Aegyptia Deorum officina propagata, *Arabiam*, *Babyloniam*, *Graeciam*, *et totum denique Latium infecerunt* (3); adeo ut Plinius hunc etiam morem inter Romanos vigentem illudens, *externis*, ait, *famulantur sacris*, *et monstra colunt*, *et non sine contemtu*, *et irrisu generis humani*, *aquilas*, *et scarabaeos smaragdis insculptos veneficiis resistere promittunt* (4). Deorum vero quondam imagines annulis gestare, vetitum erat: ἐν ἐκκτυ-

(1) Kircher. Oedip. Aegypt. Vol.II. §. 11.

(2) Deor. Concil. cap. 10. *Pudet vero ibides*, *et simias dicere*, *et capros*, *et alia magis etiam ridicula*, ... *quae quomodo Dii sustinetis*, *cum aequaliter*, *vel magis etiam*, *quam vos coli videatis?* versio Hemster. et Gesneri.

(3) Kircher. modo cit. loco.

(4) Plin. Hist. Nat. L. 2. cap. 7, et L. 37. cap. 9.

λιφ εικονα θεου μη περιφερειν (1), Pythagoricum fuit effatum, Romanis confirmatum legibus: sed hoc quoque in usum venit, et Romani etiam *Deos in digitis gestabant* (2), interque Divos averruncos, cuiuscunque gentis Numina, sive Aegyptia illa fuerint (3), sive Graeca, sive propria, admittebant. Neque Deos tantum, sed viros quoque, vel philosophia (4), vel armis (5) clarissimos, in gemmis insculptos, pro felicissimis amuletis habebant, *hoc fausti ominis nomini, et generi suo esse arbitrati* (6). Atque in hoc etiam, ut in ceteris talismata formandi rationibus, Gnostico-Basilidiani gentilium *magomaniam* sequuti sunt (7).

Sed ut eorum denique gemmis propius accedamus, iam satis abunde notum est ex doctissimis

---

(1) Kirchman de Annulis cap. 11. *In annulo imagines Dei ne ferantur.*

(2) Plin. L. 2. cap. 7.

(3) Idem L. 33. cap. 3. Alex. ab Alex. L. 2. cap. 19.

(4) Plin. L. 35. cap. 2. Maff. Gem. Ant. Fig. Vol. I. gem. 61, 62. etc. Casaub. ad Sveton. de Vultu Epicuri f. 69.

(5) Maff. Vol. I. gemm. 85. Chrysost. Hom. 25. ad Pop. Antioch. etc.

(6) Alex. ab Alex. L. 2. cap. 19.

(7) S. Epiphan. Haer. 27. Maff. Vol. I. f. 66.


image
not
available

sonantes, sive vocales una serie congestas (1), nullum saepe sonum, saepe barbarum, inconditumque reddentes ponebant. Et revera nil aliud nebulones illi efficere conabantur, quam incomprehensibili cuncta μυστηριῳ involvere, et portentosa inauditaque nomina edentes, apud ignaram multitudinem divinum quoddam sapere; atque ita

Artifices scelerum simplex mirata vetustas
Supra hominem coluit . . . . . (2)

Errabat enim multis in rebus antiquitas, quam vel usu iam, vel doctrina immutatam videmus, retinetur autem ad opinionem vulgi religio, disciplina, ius augurum, collegii auctoritas (3), ut cum Tullio loquar, augures, sive magos sui temporis irridente; in quos aperte nimis, et festive hisce versibus Ennius invadit;

Non enim sunt ii scientia, aut arte divini,

Duae praecipuae linguae ad haec τελεσματα videbantur quasi sacrae, et legitimae . . . Aegyptiaca nempe, et Assyria, sive Chaldaica . . . . Placitum ergo Diis eorum sermo, quia primae eo sermone gentes, Deorum appellationes, et cultus prodidere.

(1) Montf. Pal. Gr. L. 2. cap. 8.

(2) Prudent. Contra Sym. L. 1. v. 99.

(3) De Divinat. L. 2. §. 33.

Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Aut insani, aut quibus egestas imperat,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

Atque hoc, ut magis omnibus, et praestigiatoribus, ita etiam Basilidianis, magorum omnium ineptissimis, apprime convenit. Hinc eorum verba *tormenta* potius *verborum* Hieronymus nuncupanda censebat (1), et βαρβαρικὰ, καὶ ἄσημα ὀνόματα, καὶ συλλαβὰς (2) Lucianus, et Porphyrius (3): atque huiusmodi obscurissimis, durissimisque verbis auctoritatem suis fraudibus dabant quamplurimam, gaudentes, ut ait Theodoretus, *quod ea essent arcana, quae non possunt capi ab omnibus, sed tantum ab uno inter mille.* Horum igitur characterum, et imaginum specimina quam uberrima Chiffletius (4), Passerius (5), Fabrettus (6), aliique viri doctissimi tradiderunt. Ecquis itaque simulacra in gemmis illis

(1) S. Hyeron. in Vita S. Hilar.
(2) Lucian. in Necyomant. art. 9. vers. ult.
(3) Apud Euseb. L. 4. Praep. Ev.
(4) Chiffl. Abrax. Prot. cum Macar.
(5) Pass. in Thes. Gor. Vol. II. et III.
(6) Fabr. Inscript. Ant.

insculpta deridendi cessare poterit? Quis immanem monstrorum deformitatem, scriptorumque barbariem, in quibus tota eorum erat salus reposita, sine quadam commiseratione intuebitur? *Heu miseras hominum mentes, heu pectora caeca!*

In tanta itaque Gnosticorum talismatum congerie, nostrae quoque gemmae adnumerandae sunt: et in earum prima, Solis imaginem glyptice incusam, capite galeato, et cornuto, dexterâ baculum, serpentemque ei innixum, deprehendere non dubitavi. Numen ergo illud Basilidianis sanctissimum, tot frequentissime formis effictum, ut eum merito Proteum Chifletius vocarit, Passerius Pantheon (1), hic militari aspectu, Persica veste, ex illarum genere, quas Hesychius στρατιωτικὰς vocat (2), indutum, galeâque taurinis cornibus ornatâ se monstrat: quae omnia, quomodo illi conveniant, demonstrabimus.

Iam priscis ab usque temporibus, Solem coluere Aegyptii sub nomine Ἀμοὺν, sive Ἀμὼν (3), quem po-

(1) Passer. in Thes. Gor. Vol. II. f. 233.

(2) Huiusmodi vestis κανδὺς vocabatur. Poll. L. 7. Hesychius κανδὺν esse dicit χιτῶνα Περσικὸν, ὃν διαφορούμενοι οἱ στρατιῶται.

(3) Iablonsk. Panth. Aeg. L. 2. cap. 2.

stea Graeci etiam venerati, Ammonem vocarunt (1), quemque arietinis cornibus, sive potius arietino capite insignitum voluerunt (2). *Ammonem* itaque, ait Macrobius, *quem Solem occidentem Libes existimant arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, ut Sol radiis*; quamobrem, ut magis in eo Solis naturam exprimerent, illi cornua tribuerunt antiqui, quae radiorum erant symbola, ideoque Serapidi, Baccho, Osiridi, aliisque Diis apposuerunt: propterea κερατοφορος a Graecis, *corniger* a Latinis poetis Ammon vocatus fuit (3).

(1) Plut. in lib. de Iside et Osiride.

(2) Wolfg. Laz. Rer. Graec. Hist. L. 1. f. 23. Frehins. ad Curt. L. 4. cap. 7. 23, ubi causas ex Diod. Herod. Hyg. aliisque scriptoribus congerit.

(3) Ω Λιβυης Αμμον κερατηφορε κεκλυθι μαντιν, vetus poeta aiebat apud Frehinsemium, et Ovidius Met. L. 15. v. 309.

. . . . *medio tua, corniger Ammon,*
Unda die gelida est, ortuque, obituque calescit.

Hinc Lucanus, illius templum in Libya describens, elegantissime cecinit,

. . . . . *stat corniger illic*
Iupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

Lucan. Phars. L. 9, v. 511. 3. Et magna quidem venustate

Nec pro radiorum tantum symbolo, sed regiae etiam potestatis titulo, in augurali scientiâ (1), apud Phoenicios quoque comprobato, ad maiestatem, terroremque exprimendum (2), cornua signarunt antiqui; eaque sive in diademate, sive in casside, ut in hoc conspicimus amuleto, apposuerunt (3): et nobis maxime Diodorus (4) arridet, qui de Ammone loquutus, παραδεδοσθαι δε, ait, τον Αμμωνα σχειν κριου κεφαλην τετυπωμενην· απερασημον εσχηκοτος φυτου το κρανος κατα τας στρατειας· et Ammonis sacerdotes ad illius memoriam, galeam gessisse cornigeram testatur Silius Italicus;

Et gemmis galeam, clypeumque accenderat auro,
Casside cornigera dependens infula sacros.

Sidonius Apollinaris (carm. 22) cornua pro radiis fuisse accepta manifestissime demonstrat,

. . . . *caput aurea rumpunt*
Cornua, et indigenam iaculantur fulminis ignem.

(1) Valer. Max. L. 5. cap. 6.

(2) Pignor. de Mens. Isiaca fol. 30.

(3) Wolffg. Laz. Rer. Graec. Hist. L. 1. f. 22.

(4) Diod. Sic. Hist. L. 3. f. 2[illegible]. *Ammon ille effigiatum caput arietis habebat, quod hoc signo in bellis galeam ornatam gestasset.* (vers. Rhodomani).

Prae se terrores, divumque ferebat honorem (1). Atque hunc ab Aegyptiis morem Ammonios quoque accepisse ferunt; propterea Alexander, et post Alexandrum reges omnes Macedoniae, galeas cornibus arietinis ornatas gestabant (2). Quamquam vero et Ammon, et Ammonii, intortis tantum cornibus arietinis usi essent, tamen Bacchum *Taurifrontis* etiam nomine antiquos coluisse (3), atque boves, propter eorum in promovenda telluris foecunditate operam, Soli sacratos fuisse (4) notissimum

(1) Sil. Italic. L. 15, v. 682, et seq.

(2) V. Wolffg. Laz. Hist. L. 1. fol. 23. De Pyrrho Plutarcus (in ejus vita), de Philippo Persei fratre Livius memineruntque prisca desunt numismata, quae Antigonum quoque, et Lysimacum cornibus insignitos monstrent. Atque hoc galearum ornatu alias etiam gentes usas, Diod. Hist. L. 5. f. 353. et Herodot. L. 7. adfirmant. Ille enim Gallos super aeneas cassides cornua gestasse commemorat, hic Teucros, Mysos, Thraces, cum galeis, bubulis cornibus ornatis, inducit.

(3) Memoratu quidem dignissimum est huiusmodi marmor in Musaeo Pio-Clementino descriptum, ubi clarissimus auctor Bacchi *Taurifrontis* originem, eiusque vetusta monumenta usque adeo in lucem prolata commemorat.

(4) Hinc boves Solis apud Hom. Odyss. L. 12. V. hanc fabulam, et allegoriam apud Heraclit. de Incred. §. ultim.

est: suique Solis imaginem, saepe hircorum, cervorumque, saepe boum quoque cornibus Basilidiani effinxerunt (1). Hoc itaque propter Zodiaci praecipue signorum varietatem, in quorum *ascendente* amuleta condebantur, evenisse conicio; ideoque gemmam hanc nostram, Sole Taurum percurrente effectam fuisse, cornua bubula eius cassidi apposita mihi suadent. Quam vero potentiam Tauri signum apud magos habuerit, ex Hermetis libris accipimus, *Tauri*, ait ille, *imaginem qui secum portat, secure pergere poterit in omnia loca sine molestia, valet enim contra omnes incantationes, et veneficia, atque ad commovendas res de loco uno ad alium locum*: multaque insuper mirabilia de cornibus Tauri, lunae proximis, dicebantur (2). Cum itaque Solem rerum omnium altorem, satoremque Gnostico-Basilidiani adorarent, hoc praecipue Zodiaci signo

(1) V. Chiffl. gem. 25. 46. 55. etc. atque Ebermay. Capita Deor.

(2) Confer Passer. in Thes. Gor. Vol. II. f. 176. *Luna Tauri cornibus instans, homines facit nobiles, principes, ample nomine, multaeque famae, venustos aspectu, morumque compositorum*: etc.

vegetationem magis fovente, etiam coluisse pro certo esse debet;

Candidus auratis aperit nam cornibus annum
Taurus, et adverso cedens canis occidit astro (1).

Taurum itaque, ait Macrobius, *ad Solem referri multiplici ratione Aegyptus ostendit: vel quia apud Heliopolim taurum Soli consecratum colunt; vel quia bos Apis in civitate Memphi Solis instar excipitur; vel quia in oppido Hermunthi, magnifico Apollinis templo consecratum Soli colunt taurum* (2). Et apud Graecos quoque, et Latinos, taurum Soli dedicatum, mactatumque fuisse Graecae, Latinaeque pöeseos principes adfirmant (3). Quod si fabulas

(1) Virg. Georg. L. 1, v. 217.

(2) Macrobius Saturnal. L. 1, cap. 21. V. et Iablonsk. Panth. Aeg. L. 4, cap. 4, ubi diffuse de bobus inter Aegyptios, aliasque gentes cultis.

(3) Ἢ εἰ δή ποτε τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα
Ταύρων.
Vel si quando tibi pingues coxas cremavi
Taurorum. Iliad. L. 1. v. 40.
. . . . . τοι ὅσσα θεὸν κλῄσιν ἑκατόμβην
Ἕξεις ἐ τεύξαν ἐυδμήτου σπερ βοείου.
Hi vero confestim Deo (Apollini) gloriosam hecatomben
Ordine statuerunt rite-aedificatum circa altare. v. 447.

etiam attingere velimus, Manilium, Hyginum, aliosque auctores inveniemus, qui nobis taurum pro Iove, sive Sole Europam rapiente sistent; propterea cecinit Seneca:

Hinc quâ tepente vere laxatur dies,
Tyriae per undas vector Europae nitet (1).

Itaque, sive propter superstitionem, quâ tauri effigiem magi omnes inspiciebant, sive propter Aegyptiarum, priscarumque gentium cultum, taurina cornua, ut lunae, Soli etiam convenire videntur.

Restat ut de baculo, atque serpente in nostro amuleto insculptis, Solique tributis, aliquid etiam dicamus. Neque in primis praetermittendum est, reges antiquos, et antiquorum in fabulis praecipue Deos, hastas pro sceptris gestasse, eisque hoc extitisse maiestatis insigne, ut refert Iustinus. *Ab origine rerum*, ait ille, *pro Diis immortalibus veteres hastas coluerunt, ob cuius religionis memoriam adhuc Deorum*

Homerus aiebat, quod saepissime confirmat; eique Virgilius apprime assentitur;

Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo. Aen. L. 3. v. 119.

(1) Seneca in Herc. Fur. Act. I. sc. 1, v. 8.

simulacris hastae adduntur (1). Et ab Hetruscis apud Romanos quoque hastas pro sceptris gestandi effluxit usus, ut ipse adfirmat Iustinus. *Per ea tempora*, quum scilicet Romana moenia condita fuerunt, *reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci* σκηπτρα *dixere* (2). Hastas vero, quibus pro sceptro utebantur, sine ulla fuisse cuspide, fere omnia antiquorum, sive signa, sive numismata, sive gemmae testantur: atque hoc hastae genus *purae* cognomine distinguebatur (3). Sceptrum illud Argivorum regum, quod a Vulcano apud Homerum Iovi fabricatum Pausanias memorat, inter huiusmodi esse hastas debebat, τουτο δυν το σκηπτρον σεβουσι, ζορυ ὀνομαζοντες (4) · cui Ovidianus ille Iupiter satis consentit, qui

Celsior ipse loco, sceptroque *innixus eburno*,

(1) Iust. L. 43. cap. 3. §. 3. Alex. ab Alex. Dies Gen. L. 6. cap. 26.

(2) Iust. loc. cit. et Ioan. Aon. in Hist. Hetrusc. de Cent. Iud. 11. 3.

(3) Rosin. Antiq. Rom. L. 10. cap. 26. et Turneb. Advers. 29. cap. 1.

(4) Pausan. Beot. fol. 305. *Hoc enim sceptrum colunt, hastam illud vocantes.*

Terrificam capitis concussit terque quaterque
Caesariem . . . . (1)

Et sceptrum, sive hastam nostro Soli tributam, persimilem illis esse, quae in consignatae antiquitatis monumentis Iovi, aliisque Diis tributae conspiciuntur, nemo inficias ire poterit. Solem itaque sceptro munitum antiqui expresserunt, ut universalis illa, et omnimoda potestas, quam ei tribuebant adumbraretur (2); atque, ut Macrobii verbis utar, *Osirim Aegyptii, quem Solem esse asserunt, quoties hieroglyphicis literis suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum, inque eo speciem oculi* (3). Quibus addit Pierius Valerianus: *Per sceptrum vero, imperium, quod in coelestibus, et terrestribus gerit, exhibuere* (4). Quod si pro baculo sceptrum illud accipere placebit, quamquam nostrae Solis imagini non admodum convenire videatur, certissimum quoque tamen apud Plutarchum huiusmodi explicationis inveniemus argumentum (5).

---

(1) Ovid. Met. L. 1. v. 178, et seq.
(2) Passer. Explic. ad Thes. Gor. tab. 21, et 28.
(3) Macr. Saturn. L. 1. cap. 2.
(4) Hierogl. in Spina Dorsi cap. 34.
(5) Plut. in L. de Isid. et Osir. f. 372 τὸ δὲ σκῆπτρον φάσκοντες

Serpens hic denique quid sibi velit satis notum est ; *scientiae* illum *magicae praecipuum lumen*, *atque ornamentum* nuncupat Passerius (1), *cuius dignitatem tanti fecerunt amuletorum artifices, ut nihil sine illo publicarint, manifeste testati, quo praeceptore profecissent* (2). In eo morborum remedia, iudicia victoriae, veneficiorum expulsionem, potestates exorabiles, et fere quidquid magicam *sycophantiam* spectabat, imposuerunt, ut effuse narrat Plinius, irridetque Lucianus (3). Atque adeo huius luridissimi animantis religio, haereseos temporibus provecta fuit, ut pro Numine immortali indignissimis ab hominibus coleretur. *A Nicolao, et*

του Φαωφι βακτηριας ηλιου γενεσθαι, ὡ αγουσι μετα φθινοπωρινην ἰσημεριαν, ἐμβαινοντος ὑπερτιμιακου ζωιδιου και ροσεως, τοτε δεριφω γινομενου ὑδατος, και τω φωτι ὑδεν κλινομενου, και σιλιχιον ἐχ' ἱων φερομενον. *Vigesima secunda die mensis Phaophi, post aequinoctium autumnale, festum diem celebrant, tum Solis baculos natos dicentes, quo innuunt, veluti fulcro, et roboratione Solem iam indigere, qui inclinatus, cum iam a nobis per obliquum ferri incipit, et caloris, et luminis aliquam sit passus deminutionem.*

(1) Pass. Thes. Gor. Vol. III. fol. 180.

(2) Idem loc. cit. f. 176.

(3) Plin. Hist. Nat. L. 29. cap. 4, et Lucian. in Alex. Pseud. §. 15.

Gnosticis, *ac prioribus aliis sectis*, ait Epiphanius (1), *efflorverunt*, *quos Ophitas appellare solent*; *illi serpentem novi cuiusdam Numinis instar venerantur . . . cui scientiam omnem tribuunt* (2). Et magi omnes, et haeresiarchae, inter quos aequo iure Basilidiani, serpentem maximo cultu prosequuti sunt, eumque filium *Ialdaboth* primi patris, sine matre, nomine νους esse dictitabant (3); atque utpote ii, qui omnia ab Aegyptiis in superstitionibus mutuati sunt, hoc quoque ab illis, et a totius fere antiquitatis gentibus exceperunt. Serpens itaque, ne sacra volumina attingamus (4), apud Aegyptios, et Phoenicios, tamquam animalium omnium animosissimus, potestatem Solis foecundantem, universalemque spiritum, aptissimo symbolo exprimebat (5); atque, ut Hori verbis utar, *anguis spiritus est*, *qui per universum orbem permeat* (6); qualem prae-

(1) Epiph. Haer. 37.

(2) V. Baron. Annal. an. 145. §. 12. Tertull. de Praescript. Philastr. de Haeres. cap. 1, etc.

(3) Epiph. L. 1. cap. 34.

(4) V. Tertull. de Idolol. cap. 5. Aug. Serm. 105. etc.

(5) Euseb. de Praep. Evang. L. 1. cap. 7.

(6) Horus L. 1. cap. 60.

cipue suum Basilidiani Abraxam inducebant, qualemque Pythagoricam Mentem elegantissimis hisce versibus descripsit Virgilius (1):

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et toto se corpore miscet;
Inde hominum pecudumq. genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus:

quod in Aegyptiorum doctrina apertissime vagabatur (2). Hinc Osiridis, sive Solis capiti serpentem illi imposuerunt, eique dicarunt (3), imo Solem ipsum huiusmodi imagine effinxere, ut praeter ceteros Laertius testatur (4). *Atque Indorum etiam nonnulli draconem, veluti Liberi patris simulacrum, coluerunt* (5). Et quid serpens ille

---

(1) Virg. Aen. 6, v. 726, et seq.

(2) V. Iablonsk. Panth. Aeg. Vol. I. L. 1. cap. 4. §. 12, et de variis serpentis significationibus §. 3. 4, et seq. Et iterum de Mente infinita, sive anima mundi ἔννοι, sive νοῦς ab Aegyptiis nuncupata. L. 1. cap. 2. §. 6, 7, et seq.

(3) Piguor. in Exp. Mensae Isiac. f. 23, qui Isidis quoque capiti cum aliis auctoribus serpentem inducit.

(4) Diog. Laert. Prooem. §. 7.

(5) Alex. ab Alex. Dies Gen. Vol. II. fol. 743. V. Max. Tyr. Serm. 38.

Perpetuumque virens squamis, caudamque reducto
Ore vorans . . . . (1)

indicabat, nisi annuum Solis per Eclipticam cursum? *Annus*, aiebat Servius, *secundum Aegyptios indicabatur picto dracone caudam suam mordente* (2). Atque apud Arabes quoque, et Boeotios, Poenos, Sicyonios, aliasque gentes, praecipuum anguis obtinuit cultum (3); Epirotae etiam in templo Apollinis illum venerabantur (4), atque Babylonenses sanctissimi Numinis instar coluerunt (5); Delphorumque habitatores draconem ex Apollinis tripode oracula edentem, haudquaquam mirari dedignati sunt, ut facetissimus ille Deorum, hominumque ir-

(1) Claud. de Laud. Stilic. L. 2.

(2) Maffei Illustr. ad Gem. Fig. Vol. II. fol. 56. Kirch. Oed. Aeg. Vol. III. f. 266. Immortalitatis, et mundi symbolum fuit. V. Maff. Vol. II. f. 56. Ebermay. Capita Deor. qui et pro coeli stellati symbolo serpentem ponit.

(3) Pignorius de Mens. Isiac. f. 24.

(4) Alex. ab Alex. Dies Gen. Vol. I. fol. 230.

(5) V. Hist. Daniel. de dracone Babylon. quae extat in vulgata cap. ult. Dan. Et illustrat. Spanhem. ad Callim. f. 395, numosque draconibus inscriptos, ab eodem prolatos ad Aristoph. Plut. v. 732. aliosque.

risor Lucianus testatur, ἀλλα παρα μεν Δελφοις . . . . δρακων ὑπο τω τριποδι φθεγγεται (1).

Nec Soli tantum, sive Apollini, sive Osiridi, sed Plutoni etiam, Neptuno, Minervae, Iunoni, aliisque Diis fere cunctis serpentem dedicatum fuisse, gravissimis auctoritatibus confirmat Tristanus: ideoque ex Diis, quibus iungebatur, praecipuam significationem consequebatur (2), eiusque simulacrum felicissima semper auspicia prae se ferebat. Sic, qui Sullae immolanti, dum exercitum in expeditionem educturus esset, anguis super ara apparuit, rem praeclarissime eo die gerendam praenunciavit (3). Atque eadem experti sunt, Aurelianus imperator apud Vopiscum, Maximinus apud Iulium Capitolinum, et ipsemet Augustus apud Dionem. Quam vetustissimam antiquitatis religionem hisce versibus Virgilius expressit:

Dixerat haec, adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,

(1) Lucian. de Astrolog. §. 23. *Verum Delphis quidem draco sub tripode vocem emittit.*

(2) V. Maff. Gem. Fig. Vol. II. fol. 152.

(3) Cicero de Divinatione L. 2. §. 30, et Val. Max. de Prodig. L. 1. §. 4.

Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras...
Incertus Geniumne loci (1), *famulumne parentis*
Esse putet (2).

Quare apud omnes fere gentes praecipuum salutis extitit argumentum, exordiumque, et propterea Esculapii, Hygeae, et Minervae salutiferae symbolum saepissime repraesentavit (3). Atque heu quantis superstitionis erroribus antiquorum animi, inter falsae religionis tenebras obducebantur! *O delirationem potius incredibilem, non enim omnis stultitia error est dicenda* (4)! Non inde tantum serpens moratus in terris, inter sydera quoque refulsit, και ἐν τοῖσι ἀστρωσι δρακων φαινεται (5). atque Manilius cecinit,

Serpentem magnis Ophiucum nomine signis
Dividit . . . . . (6)

(1) De serpente pro Genio accepto V. Not. Passerii ad Lucernas, et Eckhel. Doctr. Num. Vet. Vol. IV. fol. 35.

(2) Virg. Aen. L. 5. v. 84, 95.

(3) Maff. Gem. Fig. Vol. II. fol. 117, et seq. 146. etc.

(4) Cicero de Divinat. L. 2. §. 43.

(5) Lucian. de Astrolog. §. 23. *Et inter sydera quoque lucet draco.*

(6) Manil. Astron. L. 1. v. 331. Hygin. de Signis Coelest. L. 2. §. 5, et L. 3. §. 2. aliique.

Tanta itaque superstitio, ut cum Tullio loquar, *fusa per gentes, oppressit omnes fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit* (1).

Sed te equidem nolo, vir amplissime, in rebus tibi notissimis diutius immorari, iamque literae, sub pedibus Abraxeae huius imaginis appositae, ad se iure nos revocare videntur. Illas itaque, si quidquam in tanta rerum, verborumque barbarie pro certo habendum est, sic legendas esse putavi, ΚΑΤΜΑΒΡΑΣΑΞ ΣΑΞΑΡΒΑΛΟΝΙ ΧΩΤΩΚΤ ΛΑΤΩΕΝΟ, IGNIFER, scilicet, ABRAXAS, CONSERVATOR ORBIS, IN IRAM CELERITER EXCURRENS, IMMACULATUS. ENUS.

Et a primo ΚΑΤΜΑΒΡΑΣΑΞ verbo incipiens, satis mihi superque persuadeo, illud ex καυμα *ardor*, et Gnosticorum Numine Αβρᾱξας conditum fuisse. Quamquam enim in Abraxaeis gemmis nunquam, quod sciam, Deus ille ita signatus inveniatur, tamen quid Soli magis aptum, quidve magis illi conveniens, quam καιειν, sive καυειν, esse poterit? Εἶναι τον μεν ἡλιον ἐιλικρινες πυρ . . . πυρ μεν ὂυν εἶναι, ὁτι τα πὰντος παντα ποιοι (2).

(1) Cicer. de Divinat. L. 2. §. 72.

(2) Diog. Laërt. in Zenon. L. 7. cap. 1. §. 71. *Esse autem Solem purissimum ignem . . . . ignem idcirco esse, quod omnia ignis peragat munera.*


image
not
available

Graecorum ἡλιοκαης, sive ἡλιοκαυστος (1), et ἡλιοκαία (2) apud Lucianum, et Laërtium. Neque erratum iri existimo, si etiam in gemmis Basilidianis hoc Solis epitheton extitisse adfirmaverim. In gemma enim XIV musei Capelliani, ubi Deus Abraxas, sive ΙΑΩ capite gallinaceo obsignatur, illud etiam καυσοη τω prospicitur, quod nostro καυμαβρασας non sine clarissimis argumentis convenire coniicio; sed in re luculentissima minime coniecturis opus est.

Iam vero aliquid de hoc Gnosticorum Numine Α'βρᾱξας referre iuvabit. Quod ad scripturam pertinet, illam aliquantulum corruptam in nostro amuleto conspicimus, non enim Α'βρασάς, sed Α'βρασαξ, sive Α'βρᾱξας (3) scribendum esse, viri doctissimi constituerunt.

---

(1) Ἡλιοκαης *Sole perustum*, explicat Stephanus, et Lucianum testatur, qui in Lexiph. §. 2, sic ait, νυν δε ὡρη καιρος ἐστι χριεσθαι το ἡλιοκαης· ibique Stephani explicatio minime congruit: Hemsterusius explicat: *Nunc autem tempus est ungi in Sole.* At si quidquam ad hoc addere licet, hac potius uterer explicatione; *nunc autem iam tempus est in ardore Solis inungi.* De hoc vide interpretes Petronii ad illa *Modica unctione usus.*

(2) *Insolatio, sive aestus Solis.* Laërt. in Zenone.

(3) Baron. Annal. ad an. 120. cap. 14. Α'βρασας non Α'βρᾱξας, scribendum, Epiphanii, Tertulliani, suaeque gemmae testimo-

Sed quotnam in gemmis non illud, artificum imperitiâ, nomen depravatum aspicitur? Sit satis Passerii *Sycophantiam Magicam* percurrere, ut huius nominis corruptio innumeris exemplis prospiciatur (1).

Erat itaque Deus ille Abraxas, unus ex tribus in unum congestis Numinibus, quae Basilidiani triangulo expresserunt (2), ita ut Begerus in illo Trinitatem figuratam aspexerit (3), genius solaris, qui lucis, calorisque influxu cuncta mortalia animabat, angelorum princeps, annui cursus praeses (4), rerum omnium sator, conditorque (5), quem Aegyptii Osiridem, Persae Mithram, Mitatron Cabalistae, Apollinem denique Graeci, Latinique nominarunt (6). Nil itaque magis illis temporibus, quam

---

nio contendit; sed cum anbae lectiones innumeris gemmis confirmentur, nullamque significationis immutationem constituant, utroque modo lectionem admittere nil obstat.

(1) Ἀβραξας legitur apud Chifflet. fol. 16; Ἀβρασαξ in Fabretti. Inscript. fol. 531: Ἀβραξας in Mus. Capell. n. 105, ubi saepissime Ἀβρασαξ.

(2) Kircher. Arithmom. fol. 174.

(3) Ebermayer Capita Deor.

(4) Kircher Oedip. Aegipt. Vol. II. P. II. fol. 460.

(5) Beausobre Hist. Manichaeor. Vol. II.

(6) Sic Martian. Capell. in Hymno Solis.

Solis cultus invaluit, suisque fere Diis omnibus desertis, templa illi erigere, atque aras constituere, cuiuscunque gentis populi curaverunt (1). Et Romani praecipue imperatores illum, IMPERII DOMINUM DEUMQUE; COMITEM ET CONSERVATOREM AUGUSTORUM; SOLEM INVICTUM; PACATOREM ORBIS; RESTITUTOREM GENERIS HUMANI, haud unquam nuncupare dedignati sunt (2), ut in numis quamplurimis, ab Hadriani ad Constantini tempora, inspici potest. Religionis itaque Christianae corruptores, morem quoque aetatis suae sequuti, illum Mithriacis, suisque additis superstitionibus, venerati sunt; utque Deos omnes antiqui mythologi ad Solem, Deasque ad lunam (3),

---

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirin,
Dissona sacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem,
Atys pulcher item, curvi et puer almus aratri,
Ammon et arentis Libyes, et Biblius Adon.

De aliis Solis nominibus V. Macrobii Saturnales, et oracula Apollinis in Oraculis Veteribus, *Sol*, *Orus*, *Osiris*, *Rex*, *Bacchus*, *Apollo* etc. Atque Hofman Lex. Univ. qui prolixum Solis nominum apud varias gentes catalogum intexit, in nom. *Sol.*

(1) Macar. Apist. cap. 12, ubi hoc perspicue confirmatur.

(2) V. Rasche Lex. Numism. Vol. IV. P. II. in *Sol.*

(3) Cuperus Arpocrat. fol. 108, et Macrobius Saturnal. L. 1. cap. 17, ad 24. aliique.

sic suos quoque angelos, sive virtutes, Decanos, Aeonas, coelorumque principes, ad *Propatorem*, sive *Proarchen* Abraxam Gnostico-Basilidiani retulerunt. Hinc suas imagines tam multis decorarunt figmentis, inque illis adeo Deorum omnium symbola congesserunt, ut merito Macarius dixerit, *Abraxam instar esse equi Troiani, qui ut heroas Graecos utero gerebat, ita Abraxas utero condat omnium Deorum familias, seu Aegyptii, seu Graeci, et Latini, et Persici fuerint, et cogat initiis suis imbui, et sacrari* (1). Quid vero voce illa symbolica, et mystica, a Gnostico-Basilidianis in sua theologia complexum fuerit, clarissimorum virorum ingenia usque adhuc fatigavit; et quamquam firmissimis saepe certaverint argumentis, *adhuc* tamen *sub iudice lis est*, quam non est nostrum componere; liceat tamen aliquot praestantium auctorum sententias in unum congerere, ut Sol ille Basilidianus heic magis effulgeat. Et ante omnia, ne quidquam leviori comprobatum ratione praeferamus, *Basilidiani trecentum sexagintaquinque coelos dicebant, quo numero dierum annus includitur, unde etiam quasi*

(1) Macar. Apistopist. cap. 11. etc.

sanctum nomen commendabant, quod est Abraxas, cuius nominis litcrae secundum Graecam supputationem eumdem numerum complent (1), ut Divus Augustinus, supputationem istam inde explanans, adfirmat; eique Ecclesiae Patres sanctissimi Irenaeus, Hieronymus, aliique adsentiunt. Basilides enim virtutes, et angelos multos esse putabat, in tercentum sexagintaquinque coelis degentes, ex altero in alterum transfusos (2), ut Irenaeus testatur; quibus omnibus praefici, ac dominari Abraxam, scilicet Solem, opinabatur, cuius nomen dum coelorum numerum exponebat, ad annui cursus dies referebatur. Hanc Patrum sententiam suis confirmarunt animadversionibus viri praestantissimi Baronius, Macarius, Montfauconius, Kircherius, Maffeius, Ebermayerus, Passerius, aliique quamplurimi, cuius nomina in literaria republica celebrantur. Et causam quidem ignorare fatemur, cur viri illi sapientissimi Diderot, et d'Alembert (3), Irenaei sententiam perperam inter-

(1) Div. August. de Haeresib.

(2) Div. Iren. L. 1. cap. 23.

(3) Encycloped. nom. *Abraxas*. « S. Irénée assure, que le « Basilidiens ne donnoient point de nom au Dieu suprême. *Le*

pretati, atque Patres Ecclesiae universos, doctissimosque scriptores reiicientes, nomine *Abraxas* Deum Basilidis summum, suisque literis, sive angelos, sive dies annuos complecti, negare videantur. Namque Irenaeus *innatum, et innominatum patrem*, νουν generasse adfirmat (1). Tertullianus vero hoc etiam Basilidianae theologiae μυστηριον commemorans, *Basilides*, ait, *esse dicit summum Deum, nomine Abraxam, a quo mentem creatam, quam Graece* νουν *appellat* (2). Atque Epiphanius Dei Basilidiani generationem intexens, *Ialdaboth*, inquit, *edidisse filium* νουν (3). Et *Ialdaboth* nil aliud erat, nisi Patrum Genitor per triangulum figuratus, tribusque nominibus, ut diximus, distinctus, inter quos primus Abraxas (4). *Pater* itaque Irenaei *innominatus*, Tertulliani *Abraxas*, atque *Ialdaboth* Epiphanii in unum

---

« *père de toutes choses*, disoient-ils, *est ineffable, et sans nom*: « ils ne l'appelloient donc pas *Abraxas*... On a vu ci-dessus « qu'*Abraxas* n'est point le nom que les Basilidiens donnoient « au Dieu suprême.

(1) Iren. L. 1. cap. 23.

(2) Tertull. Praescript. Haeret. cap. 46.

(3) Epiph. L. 1. cap. 24.

(4) Kircher Arithmom. fol. 175.

referri possunt, ideoque patrem Basilidianorum omnipotentem *Abraxas* nominari. Neque obstat, meâ sententiâ, Deum illum etiam hac indicatione *innominatum* dici posse: non enim Abraxas nomen est per se divinum, sed e divinis effectibus, sive proprietatibus formatum. Et Irenaeus ipse mihi hoc confirmat argumentum; *esse quemdam*, ait ille de Gnosticis loquutus, *in sublimi archetypo, qui nec oculis cerni, nec voce ulla nominari queat, quem νους dicebant.* Filius ergo *innominati patris*, *innominatus* et ipse, secundum Irenaeum, nonne suo quoque nomine νους appellatur? Nonne Ιαω, nomen etiam apud Gnosticos ineffabile, frequentissime nominatum invenimus? Sic in nitidissima gemma, quam Montfauconius (1) explicatam memorat, quaeque Ιαω prae se fert, apertissime legitur, Δος μοι χαριν, νικην, ὁτι ἐιρηκα σου το κρυπτον και ἀλιχεφρον ὀνομα· *Da mihi*, scilicet, *gratiam, et victoriam, quia occultum, et ineffabile nomen tuum pronunciavi.*

Sed ut ab haereticorum figmentis aliquantulum recedamus, non effugere quidem poterunt, quaenam antiqui omnes de coelesti Numine loquuti sint: at-

(1) Palaeograf. Graec. L. 2. cap. 8.

que prae ceteris disertissimus philosophorum princeps Plato, Causam causarum omnium, neque scientiâ capi, neque nominari, neque proferri, neque opinione cogitari, neque cognosci posse adfirmat; οὐδὲ ὀνομάζεται, οὐδὲ λέγεται, οὐδὲ δοξάζεται, οὐδὲ γιγνώσκεται (1). Et Mercurius ille Trismegistus, antiquissimus, atque omni genere doctrinae instructissimus, incomprehensibilem Dei maiestatem extollens, illum ineffabilem, atque innominatum appellat; ὁ δὲ θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται· ἐστι γαρ ὁ ὢν ἀνώνυμος . . . . . οὐ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι (2) · a quo neque Delphicus Apollo Colophone respondens dissentire videtur, dum quaerenti cuidam, quid sit Deus, haec inter alia fassus est:

(1) Plato in Parmen. circa dimid. Eiusdem Plat. in Tim. effatum sic citat Elmenhorst. Τον μεν ποιητην και πατερα τουδε του παντος ευρειν τε εργον, και ευρονται εις παντας αδυνατον λεγειν. *Opificem, genitoremque universitatis, tam invenire difficile, quam inventum impossibile digne profari.* V. Lactant. de Falsa Relig. L. 1. cap. 8. Ioan. Iacob. Heller, de Deo Ignoto Athen. et Petrum Berthald. de ara.

(2) *Deus autem unus, unus autem nominis non indiget, est autem QUI EST innominatus . . . . Cuius nomen non potest humano ore proferri.*

Ὀυνομα μηδε λογῳ χαρουμενον, ἐν πυρι ναιαν,
Τουτι θεος . . . . (1)

ad quae sybillina carmina apprime respondent;

Ἡ τις χαρησει κἀν τὸνομα μουνον ἀκουσασ

Ὀυρανιου μεγαλοιο θεου, κοσμου κρατεοντος (2).

Atque omnes itaque fere philosophi hanc in sententiam conveniunt, totius orbis conditorem, atque patrem ἀνεκλαλήτον, ἀρρητον, σιωπη φερομενον, ἀκατονομαστον nuncupantes; qui falsae licet religionis retibus impedit i, atque veri, sanctissimique Numinis cognitionem, obscurissimo quasi nubium velamine latitan-

---

(1) *Nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans, Hoc Deus . . . .*

(2) Orac. Sybill. L. 2. de Deo.

Aut quis poterit vel nomen tantum auribus percipere Coelestis summi Dei, mundi regnatoris?

Xistus in sentent. *Nomen Dei non quaeras, quia nec invenies . . . quis enim est qui nomen Deo imposuit?* V. et Porphyr. L. 4. Hist. Philosoph. apud Cyrill., ubi ait Platonem sensisse Deum esse unum, ὑνομα δε ἀυτῳ μηδεν ἁρμοττειν, *nomen vero nullum ei convenire.* Justinus in Apologia secunda pro Christian. ait, *Deo nomen imponi non posse; quod si quis id contendat, summae dementiae esse.* Philo (in opusc. quare quorumdam in sacris literis mutata sint nomina), ὑυτο μεν τοι ω ὑν ἀρρητον ἐστι ait. V. Drusium de Nom. Tetragr.

tem, consequuti, veritatem universorum tamen oculis praefulgentem arripuerunt. Quomodo vero patres nostri definire ausi sint Deum immortalem, rerumque omnium principem,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turmas
Imperio regit unus aequo;

liceat a' doctissimis auctoribus colligere. Τὸν Θεὸν κυριον ὀνομα ἀρρητον εἰναι και ἀφθεγκτον, testatur Eusebius (1); et Dionysius Areopagita, cum Deus, ait, πασι καθολου ἀληπτος, και ὀυτε αἰσθησις ὀυτου ἐστιν, ὀυτε φαντασια, ὀυτε δοξα, ὀυτε ὀνομα . . . πως ὁ περι θειων ὀνοματων ἡμιν διαπραγματευθησεται λογος, ἀληπτου και ὑπερφυους της ὑπερουσιου θεοτητος ἀποδεικνυμενης (2); Deinde illud divini codicis in una ex mysticis visionibus effatum referens, και ινα τι ἐρωτας το ὀνομα μου; και τουτο ἐστι

(1) Praeparat. Evangel. *Dei proprium nomen inaffabile esse atque innominabile.*

(2) De Divin. Nom. cap. 1. §. 5. . . . *cum neque sub sensum cadat, neque eius sit imaginatio, neque opinio, neque nomen, quomodo de divinis nominibus a nobis sermo concinnabitur; siquidem divinitatem illam, uti essentia, sic et nomine quovis, atque appellatione potiorem esse declaraverim?*

θαυμαστον (1), luculentissime addit, η ουχι τουτο ἐστιν ὀντως θαυμαστον ὀνομα, το ὑπερ πασαν ὀνομα, το ἀνανυμον, το παντος ὑπερἰδρυμενον ὀνοματος ὀνομαζομενου, ἐιτε ἐν τω ἀιωνι τουτω, ἐιτε ἐν τω μελλοντι (2); Galatinus vero in libro de Arcanis, hanc quoque sententiam adeptus, *idcirco*, ait, *notum facio Deum non habere nomen . . . . . et ob hanc Dei ineffabilitatem dixit Rabbenus Haccados Deo non esse nomen, cuius nos cognitionem habere possimus* (3). Quibus omnibus doctor angelicus assentitur, asserens, *quod nullum nomen potest dici de Deo . . . . . et Deus*

(1) Genes. 32. 29. *Quid quaeris nomen meum? hoc est mirabile.* Eadem verba in Lib. Iudic. cap. 13. v. 18. Ubi vero Graece θαυμάσιον scriptum est, Hebraice פלא habetur, quod etiam *occultum*, sive *abditum* significat. V. de hoc, Gataker. de Novi Instrum. Stylo cap. 3. circa finem. *Addē quod Esaiae 9. v. 6. in admiranda illa de Dei filio prophetia*, Parvulus datus est nobis, et Filius datus est nobis, *nomen ei* פלא Phele *tribuitur: atque id a* פלא occultus fuit; *quemadmodum* פלא admirabile et occultum *significat.* Marcus Zuerius in Quaest. Rom.

(2) Dionys. Areop. L. 1. §. 6. *Numquid autem non hoc est vere mirabile nomen, quod est innominabile, quod est collocatum super omne nomen, sive in sacculo isto, sive in futuro?* Ad quae V. Corderium, et Pachymerae paraphrasim.

(3) L. 2. cap. 10.

nullo modo potest nominari a nobis (1). Jam pridem ergo praeclarissime Minucius Felix in Octavio, *ne nomen*, aiebat, *Dei quaeras, Deus nomen est: illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est, Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est:* et deinde, *aufer additamenta nominum, et perspicies eius claritatem.* Quod Lactantius iisdem fere verbis disertissime comprobat (2). *Atque utinam stulta gens mortalium saperet, atque intelligeret, divinissimum illud divinitatis fastigium, magnitudine omnino incomprehensibile, ens aeternum, immensum, infinitum, quod Deum vocant, anonymum, et unum, et incircumscriptum!* sapientissime auctor libri de urbe Roma (3).

Cum vero nullum Deo nomen esse, tot viri praeclarissimi totius aevi consensu, gravissimisque etiam e divino codice depromptis testimoniis confirment; tamen non apud Hebraeos, atque sacro-

(1) Sum. Theolog. P. I. quaest. 13. art. 1.

(2) De Falsa Relig. L. 1. cap. 6. *Deo igitur nomen non est quia solus est, nec opus est proprio vocabulo* etc.

(3) Andreas Chrino cap. 3.

sanctae religionis scriptores invaluerunt, sed universa etiam nomina Creatori altissimo convenire, nemo poterit adversari. *Nomina insuper habet omnia, quoniam unus est pater, nomen quoque nullum habet, quoniam pater est omnium* (1), Mercurii Trismegisti verba sunt, apud theologos notissima. Quare Dionysius Areopagita in libro de Divinis Nominibus θεὸς ὄν, inquit, τῆ παντων ἀιτίᾳ καὶ ὑπερ παντα ὐσῃ, καὶ το ἀνωνυμον ὑφἁρμοσει, καὶ παντα τα των ὀντων ὀνομἁτα (2). Et Divus Gregorius Nazianzenus in hymno quodam ad Deum ait,

Σὺ μὲν ἐὼν, σὺ πάντα; πανωνυμε, τί σε καλεσσω
Τὸν μονον ἀκλειστον . . . . (3)

Cuius rei explicationem doctor angelicus hisce verbis adducit; *videtur quod nullum nomen dicatur de Deo proprie, omnia enim nomina, quae de Deo dicimus, sunt a creaturis accepta* (4). Si-

(1) Trismeg. in Poemand.

(2) Cap. 1. §. 7. *Sic igitur ei, qui omnium rerum causa est, et supra omnia, congrait carere nomine, et congruunt rursus omnia rerum omnium nomina.*

(3) *Cum neque unus sis, neque omnia, quem te appellem, Qui es solus innominabilis, atque omninomius? . . . .*

(4) Summ. Theolog. P. I. quaest. 13. art. 3. Et ipse in art. 2.

quando itaque Hebraei Deum Σαβαωθ, sive alio huiusmodi nomine appellarunt, nil nisi Dei qualitates, atque effectus attributive protulerunt: *Omnia enim Creatoris nomina in libris omnibus inventa ab effectibus derivata sunt, praeter unum nomen quod est* יהוה, *et est nomen appropriatum Creatori altissimo* (1). Sed hoc quoque nomen super omne nomen, in quo *non est participatio inter Creatorem, et aliquid aliud*, quod a Deo ipso mortalibus traditum fuit, quodque divinam potestatem, maiestatemque in se continet, τουτο καθ' ἑβραιοις ἀφραστον ὀνομαζεται (2), *nec ullus est hominum, qui ipsum vel audeat, vel possit proferre* (3). Tantum

---

A nullo istorum nominum exprimitur quid est Deus perfecte, sed unumquodque imperfecte eum significat, sicut ei creaturae imperfecte eum repraesentant. Galat. de Arc. L. 2. cap. 10. *Cetera vero omnia Dei nomina qualitates, et reliqua significant.*

(1) Galatin. de Arcan. L. 2.

(2) Theodoret. quaest. 15. in Exod. *Apud Hebraeos ineffabile dicitur.*

(3) Augustin. Steuchus in Recognit. Vol. VII. ad Verit. Hebr. f. 77. V. Drusium de Nom. Tetragram. Pauli de Sancta Maria Quaest. de Nom. Div. *Partem non habiturum in futuro saeculo, quisquis nomen illud pronunciare praesumeret*, ex L. Iuchasim Drusius annotat. in Tetr. cap. 9, et Galat. de Arc. L. 2. cap. 10.

illud, summa quidem religione pronunciare licebat in sanctuario, Pontifici Maximo, idque decima Thisri (1) in die ieiunii, et gloriosae sanctificationis, solum in benedictione sacerdotum (2), audientibus sanctis, nam si Philoni credimus, aliis non licebat audire (3). Neque desunt qui potiori argumento contendant, ne a summo quidem sacerdote tunc nomen יהוה secundum eius sonum pronunciari, sed sive per consonantes, sive per ipsius literarum scripturam, sive per cognomen *Adonai*, quod Hebraei (4) nomini semper tetragrammato substituebant (5). Ex quibus omnibus arguendum est, Deo nullum esse nomen, praeter divinum illud τετραγραμματον, quod humano non potest ore proferri; et universa nomina Deo tributa, utpote quae non divinam eius substantiam, sed qualitates sanctissimas

(1) Scaliger in Not. ad Fragm. Selecta.

(2) Galatin. loc. cit.

(3) Drusius in dissert. de Nomine Tetragr. cap. 10.

(4) Id. in annot. ad Quaest. 10, Pauli de Sancta Maria, de Nomine Divino.

(5) *Loco tetragrammati, quod nulli erat licitum pronunciare, nisi sacerdotibus in templo, ubicunque ponitur, proferebant legentes hoc nomen Adonai.* Paul. de Sancta Maria.

proferunt, nihil obstare, quin Deus innominatus iure meritoque dicatur. Basilidis ergo sectatores, atque ipse Basilides, patrum nostrorum de Deo traditiones, specie tantum, e sua impietate commutantes, de illis aliquid retinuerunt; et hoc etiam iure, quo plerique philosophi, totius antiquitatis consensu, Deum innominatum vocarunt, suum quoque Numen nuncupare ausi sunt. Nemine itaque fortasse adversante, *Abraxam*, qualem in principio multis confirmatum scriptoribus exposuimus, excipiemus, illumque Basilidianorum patrem Deumque vocabimus.

Quoad vero numeros hoc nomine comprehensos, et ab Ecclesiasticis scriptoribus indicatos spectat, satis illos Macarius (1), magisque feliciter Kircherius (2), in nomine etiam Mithrae latentes explicarunt: nec defuit, qui gemmae nitidissimae testimonio, Ἀβρασὰξ etiam pro Nilo positum fuisse, eamdem in nomine *Νεῖλος* numericam dispositionem ex-

(1) V. Macarii Apistopist. cap. 3, ubi Μίθρας pro Μίθρας legens, eumdem efficit numerum.

(2) Kircherius in Arithmom. fol. 191, ubi Μιθρας scribit, et numerum trecentum sexagintaquinque format, quam sententiam sequutus est Ebermayer Capita Deor. fol. 220.

tare demonstrans, adfirmaverit (1). At Petrus Gassendus in vita Nicolai Fabricii, causam etiam exquirens, cur septem literis Dei nomen Basilidiani expresserint, vocem addit *Abraxas septem angelos, coelorum septem praesides* continere. Quod clarissimus etiam Ebermayerus hisce verbis adfirmat; *septem ponit angelos primarios Basilides, septem coelorum praesides, qui sive ipsi, sive ipsorum nomina sunt,* Ἀβραξας, *seu Deus summus habitans in septem stellis* (2). Et septenarius ille numerus apud Aegyptios, aliasque gentes sacer, etiam in literis Dei nomen efficientibus invaluit: quod si hoc quoque Basilidianos in Ἀβραξας exprimere voluisse adfirmabimus, non a veritate procul ire arbitramur. Ἐν Αἰγυπτῳ δὲ καὶ τους θεους ὑμνουσι διὰ των ἑπτα φωνηεντων οἱ ἱερεις, ἀρξῆς ἠχουντες ἀπτα (3), aiebat Demetrius Phalereus in libro περι ἑρμηνειας· et Auctor incertus, quem unum ex sapientibus Eusebius appellat (4), hoc de Deo summo apertius memorat;

---

(1) Passer. in Nilo Abraxaeo Thes. Gor. Vol. III. f. 170.

(2) Capita Deor. fol. 218.

(3) *In Aegypto verò sacerdotes etiam per septem vocales Deos celebrant, dum eas ordine continuo sonant.*

(4) Euseb. Praepar. Ev. L. II. cap. 6.

Επτα με φωνηεντα Θεον μεγαν ἀφθιτον αἰνει
Γραμματα, των πασαν ἀκαμματον πατερα·
Εἰμι δ' ἐγω πασαν χελυς ἀφθιτος, ἡ τα λυρασδη
Ἡρμοσαμεν δινης ουρανιοιο μελη.

Quod Iablonskius argumentum doctissime, ut solet, comprobavit (1). Atque liceat hic quoque memorare nomen illud Solis ΦΡΗ, numericis etiam literis expressum, quod apud antiquissimos Aegyptios locum ante Osiridem obtinuit, quodque Martianus Capella hisce versibus figuravit, ut La-Crozius contendit (2);

Salve vera Deum facies, vultusque paternae;
Octo et sexcentis numeris cui littera trina (3)
Conformat sacrum nomen, cognomen, et omen:

quamquam Grotius, in suis ad Capellam animadversionibus, ΗΤΣ Deum illum nuncupet, quod *mentis affectum placidum* denotat. Nec Soli tantum,

---

Septem me vocales Deum magnum, immortalemque laudant
Literae, totius universi indefessum patrem.
Sum autem ego omnium lyra incorruptibilis, quae hos fidicina
Composui vorticis coelestis modos. Anthol. Vol. III. Ep. 280.

(1) Iablonsk. Panth. Aeg. P. III. proleg. §. 25.

(2) Dissert. VIII. de Terra Gosen §. 4.

(3) Mart. Cap. de Nupt. Philol. et Merc. L. 2. §. 10. in Hymn. ad Solem v. 28.

sed aliis etiam Diis mystica haec, et numerica nomina, ab antiquis usque temporibus indita fuisse, ex Servio discimus: atque idem Grotius ad Apocalypseos caput decimum tertium, vetustum ait, esse morem, *aut nomina ipsa Deorum, aut pro nominibus numerum, quem nominis literae Graecae in summam collectae conficiebant*, signare.

Accedit altera Abraxaei nominis interpretatio, quam Wendelino auctore Cluffletius refert, ubi quatuor prioribus literis Hebraice contextis, Trinitatem vir ille clarissimus adumbratam prospiciens, deque tribus posterioribus tria Graeca verba componens, Ξυλου Αγιο Σωτηρια *salus de ligno*, sanctissimam tradit explicationem; quae licet argutissima, multis tamen argumentis oppugnata, vires nimia sagacitate congestas amisit. Atque idem fere fatum experta est doctissimi Arduini interpretatio: nec aliter fieri poterat, si quasi novum quidquam exprómere simulans, nil nisi ipsam Wendelini sententiam parum immutatam in medium proferre conatus est. Sed vir immortalitate dignissimus Isaacus Beausobre, multum de hoc nomine loquutus (1), et Apollinis

(1) Beausobre Hist. Manich. Vol. II. f. 55.

Clarii oraculo, quod Macrobius aliique referunt, innixus,

Χειμωτι μεν τ' Αϊδην, δια δ' ειαρος ἁρπομενοιο
Ηελιον θερεος, μετοπωρου δ' ἀβρον Ιαω (1),

iudicium profert consultissimum: namque ἀβρον illud a traductoribus *mollem* interpretatum, pro *magnifico*, *splendido*, *maiestate pleno* accipiens, vocem Αβραξας ex σαω, et ἀβρος compositam derivat; eamque *magnificum* explicat *servatorem*, illum scilicet, *qui mala ab hominibus depellit, et arcet*. Atque hanc inde Soli explicationem convenire contendens, suam denique sententiam, ad illius aenigmaticae vocis veritatem fortasse propius accedentem, clarissimis indiciis probat, confirmatque. Sed in tantis doctorum controversiis quid moror amplius? Videant hoc illi, quibus natura uberrimas ingenii profudit opes, quique aetatem suam in vigiliis, doctisque laboribus versantes, nomen immortalitati consecrarunt; tu ipse videas, vir praeclarissime, qui tantum inter coteros emines,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi;

(1) *Hyeme quidem Plutonem, Iovem autem vere incipiente, Et Solem aestate, autumno vero mollem Iao.*

dum ego nullam in hoc curriculo palmam exquirens, secundam nostrae gemmae vocem explanare contendam.

Fateor equidem in primis το Σκσαρβαλοντ, quod in illâ legere aggredior, a doctissimis viris, qui de gemmis istis verba faciunt, non hactenus fuisse detectum. At re quidem vera, nemine fortasse improbante, vocem illam ex σκω, vel σκυζω *servo*, et Hebraico אדוני *dominus meus*, vel ut merito Passerius explicavit *mala leves Deus*, derivare libentissime possem, cum praecipue in eiusdem Passerii *Sycophantia Magica*, αλοντι etiam pro αδοντι hac significatione, a Basilidianis quoque usitatum inveniatur, et verbi σκω, sive σκαζω mille modis deformati innumera prospiciantur exempla. Sed quidquid haec valeat sententia, explicationem nobis etiam magis arridentem, reique convenientissimam dabimus. Nullum scilicet ante omnia exurget dubium, quin primum illud σκσαρ pro σκσας, quod a σκω, sive σκοω exoritur, positum fuerit; levissima enim haec σ in ρ immutatio nihil obstare poterit, cuicunque magica literarum contorsio aliquantulum nota sit; neque Graecae etiam elegantiae sectatores turbabit, cum Attici ipsi ρ pro σ adhibere consueverint. Quod si reliquum βαλοντ respiciemus, illud pro βηλον scriptum fuisse videbimus.

Βηλον autem, inquit Hesychius, *et Dorice* Βαλον, ὀυδον, και ὀυρανον, *limen* scilicet, *et coelum* significat: et Suidas hoc etiam adfirmat, βηλος ἐστι βαθμος θυρας, η ὀυρανος: quam sententiam Homeri Scholiastes in illud

Ριφε ποδος τετυγεν ἀπο βηλου θεσπεσιοιο (1)

confirmat: ἀπο βηλου enim, ait, τουτ'ἐστι ἀπο του ὀυρανου, κοινως δε σημαινει ὁ βηλος τον ὀυδον (2), additque insuper ipse Scholiastes, ἑτεροι δε βηλον ειπον τον ανωτατω στερεωμα, και περιεχοντα τον παντα ἀερα (3). Ex quibus omnibus colligendum duco, βηλον *tum coelum*, *tum terram* heic libentissime explicari posse; ideoque nostrum hoc ΚΑΤΜΑΒΡΑΣΑΞ ΣΑΣΑΡΒΑΛΟΝ nil aliud, quam *Solem igniferum*, *conservatorem coeli*, *et terrae*, sive *orbis* significabit. Quod si antiquorum exemplis omnia suae theologiae μυστηρια Basilidiani constituerunt, hanc quoque Solis denominationem a vetustate duxisse apertissime videntur. Notum est enim, quid antiqui de Sole arbitrati sint: *Sol dux*, *et princeps*, *mens mundi*, *et temperator* (4), Acade-

(1) Hom. Il. α. v. 592. *Delecit pede prehenso a coelo divino.*

(2) Ἀπο βηλου, *hoc est a coelo; βηλος autem significat etiam limen.*

(3) *Alii dicunt esse* βηλον *telluris summitatem, et aëra cuncta circumcuntem.*

(4) Cicer. Somn. Scip. cap. 4.

miae sectator eximius aiebat; ad quod Ciceronis effatum Macrobius respiciens, *iure*, ait, *cor coeli dicitur Sol, per quem fiunt omnia ... et cur temperator mundi dictus sit, satis in aperto est; ita enim non solum terram, sed ipsum quoque coelum Sole temperari certissimum est.* Hinc Solem PACATOREM ORBIS, Hercules nomine tectum, vocavit Seneca: illum IOVIS LIBERATORIS titulo Syracusani, et Troezenii coluerunt, eumque CONSERVATOREM (1), sive ΣΩΤΗΡΑ (2) nuncupatum antiquitus fuisse, tot numi, gemmaeque

(1) In numis. V. Band. I. fol. 154, 180, 224, 365, etc. Eckhel. Vol. II. fol. 406, 410, 428, etc. Waill. Vol. II. fol. 189, alibique.

(2) Eckhel. Vol. II. fol. 438. cum imagine Aescul. Spanhem. in Callim. Vol. II. fol. 196. *hinc* σωτηρ *idem quoque Apollo sacratus in numis, qui adhuc supersunt.* Haec itaque Callim.

Οὐ λιπος Ἀπόλλωνος ἀποσταζουσιν ἐρωτες,
Ἀλλ' ἄνθην σφανοκιλαν· ὧν ἁπτόμενος ὁ κεν ἔκαινε
Πρωτας ὁρμὰς σεσοφιν, ἑκηβολε φαρι' ἀγινοντο.

Non oleum Apollinis distillant comae,
Sed panaceam ipsam. In qua autem urbe illae
Guttae humi ceciderint, ibi omnia salva sunt.

Hymn. in Apoll. v. 40. et quae commentatus est Spanhem. Pro salute Apollini immolabant, votaque solvebant, ut multi lapides demonstrant.

testantur, tot scriptorum sententiae confirmant, ut

DEO . SOLI
MITHRAE . ET
CONSERVAT.
C. IVNIVS. C. F.

SOLI . IVVANTI
L. VOLVMNIVS . MYNATIANVS
SODAL . AVG . PRAEF . VRBI

SOLI . AETERNO
SACR.
PRO . SALVTE . P. VALERI
CRISPI . SEPTENTRION . SACERD . DEI . INVICTI
M . ANT . M . F . LIBER
MESOPILVS . AEDITVVS
LOCAVIT

PRO . SALVTE . IMP . CAES.
M . AVREL . ANTONINI . AVG.
PII . FEL. P. P.
VOTO . SVSCEPTO
DEI . MAGNI . SERAPIDIS
TEMPLVM . COLVMNIS . ORNARI
SEX . POMP . PRIMITIVVS
M . VIBIVS . SATVRNINVS
S. P. C.

vanum hic sit illorum auctoritates congerere. Neque etiam praetereundum censeo, Gnosticos e Mithriacis sacris credidisse, Solem suis radiis felices animas in sublime provehere, ut Iulianus testatur; *nam qui corporeo calore talia in corporibus efficit, nonne per arcanam, ac divinam, sinceramque radiis illius insidentem naturam, multo magis ad se felices animas attrahet, et extollet* (1)? Quapropter iure merito CONSERVATOR COELI, ET TERRAE vocabatur. Sed quod nostro ΣΑΣΑΡΒΑΑΟΝΙ apprime convenit, illud sine dubio est Priapi epitheton, CONSERVATOR scilicet ORBIS, quod huius Dei icunculae insculptum protulit clarissimus Caussaeus (2). Nec demonstrare quidem opus est Priapum Solis esse nomen, et pro Sole acceptum fuisse, cum hoc iam suis sententiis doctissimi scriptores confirmaverint. Quod si quis

---

Grut. fol. XXXV. 2. 13. XXXII. 11. LXXXV. 4. ubi multa huiusmodi proferuntur. Sol quidem ΣΩΤΗΡ V. Eckhel. Vol. I. fol. 243, 245, 262 etc. luna vocabatur ΣΩΤΕΙΡΑ in Agatoclis numo, aliisque, et CONSERVATRIX PIA in Thes. Gor. illustr. a Passer. Vol. II. fol. 36. Atque ita in Orphicis Hymn. I. ὁσσαφ ἐγὼ δίκη σεσαῖρα σφοσαντον.

(1) Iul. imper. Or. 5.

(2) Dissert. de Mutin. Simul. fol. 125.

Servatoris nomen, quomodo Abraxaeo Numini aptissimum sit, luculenter agnoscere exquiret, modo laudatum adeat Isaacum Beausobre, qui in Historia Manichaeorum hoc disertissime probat argumentum. Nos tantum hic Gnosticorum inscriptionem in *Sycophantia Magica* Passerii editam (n. 82) referemus, in qua Numen ΙΑΩ hoc *Servatoris* nomine decoratur: ΟΙΓΙΕ ΣΟΤΟΤΑΡ ΙΑΩ ΡΕΩΝΑΦΟΝ. *Salvator, imo fons salutis, et divitiarum.*

Sequuntur demque ultimae nostri amuleti voces ΧΩΘΩΚΤ ΑΑΘΩΕΝΟ, quas *in iram celeri, immaculato uno* interpretati sumus, χαθαιρω ex χαομαι et ωκυς, atque ex ἀαθος et θις, ἀαθανο libentissime deducentes: quod etiam non sine probabili coniectura. Sol enim antiquorum Numen illud adeo excultum, ut μονος δυρανόν θεος in Gentilium theologia vocaretur, mundi totius anima, et conservator amplissimus, naturae principale regimen, per cuncta rerum meabilis, ideoque consertus, cuiusque opera, terrâ, marique patefacta, sese mortalibus exhibuerunt, mortalium quoque iudex a vetustissimis usque temporibus putabatur. Solem enim scribit Plutarchus in libro de Doctrina Principum *esse iustitiae arbitrum, et moderatorem, propter fixam*

legem sui cursus. Quod Orpheus etiam testatur, Solem invocans

Δικτα δικαιοσυνης, φιλονυμφε, δεσποτα κοσμου (1),

quandoquidem hoc ὁμμα δικης, κατορᾳ παντα τα γιγνομενα (2). Propterea in Graecis, Latinisque scriptoribus per Solem saepissime iurari perspicimus; eumque sacramenti vindicem vocari,

Ζευ πατερ, Γοηθεν μεδεων, κυδιστε, μεγιστε,
Ηελιος θ', ὁς πανθ' ὁρᾳς, και πανθ' ἐπακουεις,
Υμεις μαρτυροι ἐστε, φυλασσετε θ' ὁρκια πιστα. (3)

suavissime cecinit Homerus, quem imitatus est Virgilius in decimosecundo Aeneidos:

Esto nunc Sol testis, et tu mihi terra precanti,
Et pater omnipotens . . .

Atque Iuvenalis etiam *per Solis radios* iurabat (4).

Et prius tibi deierabo Solem istum Deum videntem

---

(1) Hymn. ad Sol. v. 16. *Largitor iustitiae, aquilustrius, despotes orbis.*

(2) *Oculus iustitiae, qui videt omnia.* Anth. L. 3. cap. 6. fol. 301. V. et Diphil. ap. Theodoret. Θερα. fol. 564. Euseb. Orat. de Laud. Const. fol. 661.

(3) *Iupiter pater, ex Ida regnans, gloriose, maxime;*
Tuque Sol, qui omnia vides, et omnia audis,
Este vos testes, et custodite fida iuramenta.

(4) Iuv. Sat. 23.

me vera memorare, scripsit Apuleius (1). Merito itaque profert Iosephus Laurentius ; *Sol etiam invocabatur iuramentis firmissimis : . . nam dictus Sol arbiter iustitiae* (2). Quapropter illum mortalium culpas, et quamvis occultissima crimina, poenis exercere antiqui crediderunt, ut diligentissimi scriptores testati sunt. Et ad hanc Solis potestatem Virgilius respiciens, cum Didonem iam iam crudeli funere morituram effingeret, Solem tam durae mortis vindicem, et ultorem, ita illam implorantem elegantissime inducit :

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras...
Et Dirae ultrices, et Dii morientis Elisae,
Accipite haec, meritumque malis advertite Numen,
Et nostras audite preces ; si tangere portus
Infandum caput, et terris adnare necesse est...
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera. etc. (3)

Atque hoc Ennius poeta vetustissimus, huiusmodi etiam invocatione, in Medea exule confirmat;

(1) Apul. L. 1.,
(2) De Reb. Public. Suffrag. ac Concil. cap. 3.
(3) Virg. Aen. L. 4. v. 607, 610. etc.


image
not
available

terat, quam super mortalium opera saepe nimis flagitiosa, in iram commoveri, et propter illorum impietatem quam celeriter indignari? *Iudicem enim oportet esse contra nocentes inexorabilem, erectumque, et arduum, et potentem, vi et maiestate veritatis terrificum*, ait Budaeus (1). Quam Solis iram in indignissimos hominum mores, nobis luculentissime prospiciendam praebet Orpheus;

Εὐσεβέων καθόδηγε κακῶν, ζαμενὴς δὲ σεβουσι (2).

Hinc Solem Homerus ἀμύμονα τε, κρατερόν τε (3), *irreprehensibilem* scilicet, *fortemque* vocavit, atque formidabilem;

Δεινοὶ γὰρ Θεοῦ αἵ γε βόες, καὶ ἐφία μηλα
Ἠελίου . . . . (4)

quae iudicis omnia sunt. Et irati Solis imaginem ipse nobis tradidit, quando, suis ab Ulyssis sociis bobus interemptis,

---

(1) Bud. in L. de Iustitia et Iure.

(2) *Dux o faustissime piis hominibus, cumque impiis valde iratus.* Orpheus in Hymn. ad Sol. v. 8.

(3) Hymn. ad Apoll. v. 100.

(4) *Terribilis enim Dei erant boves, et pinguia armenta Solis.* Odyss. L. 12. v. 322.

Αὐτικα δ' ἀθανατοισι μετηυδα χωομενος κηρ (1).

Quid vero de ΑΑΤΟΕΝΟ, *solo* scilicet *immaculato* dicemus? Non equidem explicatione indigere arbitror; satis enim superque notum est, quid de hoc senserint antiqui, του δε πρωτογονου φαντος, ὁσον μεν καθαρωτατον ἐνεβηκε τῳ ἡλιῳ, το δε λοιπον σελληνῃ, και τοις ἀστροις ἐμερισε, Sidonius ait Apollinaris (2). Solemque ἐλικρινες κυρ ex Posidonio vocavit Diogenes (3); ἀκηρατον φλογα Secundus (4); ἀνυμνα νοερον (5) Plutarchus, et, quod nobis apprime sedet, ἀμιαντον Orpheus denominavit (6). Quibus omnibus nostram explicationem satis confirmatam esse censemus.

Accedit altera Basilidianis quoque tribuenda

---

(1) *Deinde loquutus est Deos valde animo indignatus.* Odyss. L. 12.

(2) *E primigenia luce, quidquid purissimum foret, indidit Soli, reliquum lunae, et astris impertitus est.*

(3) *Ignem purum.* Diog. in Zen. L. 7. cap. 1. §. 71.

(4) *Flammam purissimam.* Opusc. Mythol. fol. 636.

(5) *Facem puram intellectu praeditam.* De Placit. Philos. L. 2. cap. 20. *Est enim* ἀνυμνα *purissima quasi lucis flamma*, ait Menagius ad Laërt. cit. loc.

(6) Λιθελιε, ἀμιαντε, χρονου πατερ, ἀθανατε ζευ. *Ardens, immaculate, temporis praecursor, immortalis Iupiter.* Hymn. ad Sol. v. 13.

gemma, quae Solis imaginem iuvenili aspectu, crinibus intonsis, et radiato diademate glyptice insculptam perhibet. Iam Graecis, Latinisque populis Apollinem imberbem effingere mos fuit acceptissimus, celeberrimis antiquorum, sive signis, sive numis, sive aliis monumentis confirmatus. Ἀναπλάττουσι γενειήτην μεν τον Δια, ἀκειρε δε ες ἀει τον Ἀπολλωνα, notavit iam Lucianus (1); et alibi πάντες, ait, Ἀπόλλωνα νεον τε ἡγηνται, και πρωθηβην ποιεουσι (2): a quo neque Ovidius dissentit, qui de Baccho, sive Sole loquutus cecinit;

. . . . *Tibi enim inconsumpta iuventus,*
Tu puer aeternus, tu formosissimus alto
Conspiceris coelo . . . (3)

Sed huiusmodi Solis imaginem praestantissimam exhibet Callimachus in hymno ad Apollinem;

Και κεν ἀει καλος, και ἀει νεος · ὁυκοτε Φοιβου

---

(1) *Exprimunt autem barbatum Iovem, semper vero adolescentem Apollinem.* Luc. de Sacrif. §. 11.

(2) De Dea Syria §. 35. *Omnes iuvenem putant Apollinem, et prima florentem pubertate faciunt.*

(3) Metam. L. 4. v. 17. Pariterque Tibullus utroque Numini iuventutem tribuit perpetuam; L. 1. Eleg. 4. *Solis aeterna est Phoebo, Bacchoque iuventa.*

Θηλειαις, ουδ' ὁσσον, ἐπι χροοϛ ἡλθε παγειαις,
Αἳ δε κομαι θυοεντα πεδ' λειβουσιν ἐλαιῳ (1).

In quam sententiam Plutarchus, aliique scriptores conveniunt: Sol enim perpetuis viribus oriens, cadensque, eodem semper ore lucidissimo, juvenili hoc aspectu ab antiquis figurabatur, ut a doctissimis viris probatum est. Sed quamvis ita sit, non defuere tamen, qui Apollinem etiam barbatum inducerent, cum haec perfectissima viri forma sit, μουνοι δε ουτοι (Ἀσσυριοι) Ἀπολλωνος γενειητεα ξοανον δεικνυσι (2), ait Lucianus: etsi nullo adhuc antiquitatis monumento ita conspici doceat vir harum rerum indagator sagacissimus Ezechiel Spanhemius, ad memoratos Callimachi versus. Sed huius diversitatis causam refert Macrobius hisce verbis; *Hae autem aetates ad Solem referuntur, ut parvulus videatur*

---

(1) Callimach. Hymn. ad Apoll. v. 36.
Atque etiam semper formosus est, semper iuvenis. Numquam Phoebo
Teneris ne tantillum quidem lanugo increscit malis,
Comae autem odoratum in terris stillant odorem.

(2) Lucian. de Dea Syria §. 35. *Hi vero soli (Assyrii) barbati Apollinis signum ostendunt.* V. Maff. Gem. Fig. Vol. III. fol. 54. ubi de Bacc. barb.

hyemali solstitio, exinde autem procedentibus argumentis, aequinoctio vernali similiter atque adolescentis adipiscitur vires, figuràque iuvenis ornatur. Postea eius aetas statuitur plenissima effigie barbae solstitio aestivo: exinde per diminutionem veluti senescenti quarta forma Deus figuratur (1).

Decorabátur insuper Apollo nitidissimis et intonsis crinibus, ut illum figurare placuit antiquitatis scriptoribus, utque eum in hac gemma conspicimus; propterea apud Graecos ἀκερσεκόμου nomine insignitus fuit (2), et *intonsi* apud Latinos (3). Quibus Apollinis crinibus Solis radios fuisse expressos,

(1) Saturn. L. 1. cap. 18.

(2) V. Polluc. de Tonsor. L. 2. Philostr. in Her. et Hesych.

(3) *Intonsoque agitaret Apollinis aura capillos.* Hor. Epod. 15. v. 9. et Od. L. 1. 21. v. 2. etc. *Talibus intonsum compellat Sminthea dictis.* Ov. Met. 12. v. 585. V. Fulv. Urs. Famil. Rom. Calpurn. Gent. Tab. I. num. 1, 2, 3, 4, 5. Valer. Tab. I. num. 1, 2, 3. etc. Auratis quoque capillis illum descripsere Homerus, Orpheus, Hesychius, atque Aelianus, qui χρυσοῦν βοστρυχον, *aureos* scilicet *cincinnos*, illi tribuebat, quod etiam in numis quamplurimis videre est.

Phoebum caesaries necicia colligit
Perfundens humeros ornat, et integit.

aiebat Senec. in Hippolit. v. 801.

Macrobius ipse testatur; Χρυσοκομης *Apollo cognominatur a fulgore radiorum, quos vocant comas aureas Solis* (1). Quid vero radii illi duodecim, quibus nostri Solis diadema ornatur, demonstrent, Martianus Capella satis superque declarat;

Solem te Latium vocitat, quod solus honore
Post patrem sis lucis apex, radiisque sacratum
Bissenis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menses, totidem quod conficis horas (2).

Atque hoc antiquissimum extitisse Solis ornamentum, Virgilius etiam adfirmat, Latinum quatriiugo invectum curru, hoc ad foedera cultu procedentem inducens,

. . . . . cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen . . . . (3)

Sed Nonnus, et inde Iulianus Solem ἑπτακτυν θεον, se-

(1) Saturn. L. 1. cap. 17.

(2) De Nupt. Philolog. et Merc. Hymn. Sol. in fin.

(3) Virg. Aen. L. 12. v. 163. Albricus Philosophus duodecim quoque gemmas solari coronae tribuit. V. Alexandr. Tab. Hel. qui de Herc. laboribus in Sole figuratis.

ptem scilicet *radiis insignem Deum* vocaverunt (1), quod ad septenarium numerum, apud gentes orientales fere cunctas sanctissimum, referendum videtur, et ad septem praecipue portas, sive planetarum orbes, in Mithriacis sacris celeberrimos, per quos animarum reditus ad coelum supremum fingebatur (2): ita enim Iulianus de Sole loquutus: *Iam vero si arcana illa, et mystica persequi velim, quae circa septem radiis insignem Deum Chaldaeus celebravit, ut per illos animas in sublime provehat, quaedam eloquar in vulgo ignota maxime* (3). Atque hoc in Gnosticorum theologia celebratissimum

(1) Ἑπτάκτινους ἀκτῖνας ἔχει πλοκαμιαίαν ἑλίκην. Non. L. 38. v. 303. Supra caput Romani Solis, quod Neronis fuerat simulacrum, *radii septem fuere longitudine pedum* 22, ait Victor. Martianus coronam septem radiorum Palladi tribuit; et huiusmodi vestigia in Capitolino marmore, et in Tabul. Borgh. conspiciuntur. V. Mus. Pii-Clement. Vol. VI. fol. 103. tab. 15. Alcandr. in Tab. Hel. Quod et ad septicordem Apoll. lyram refertur, Macrob. Saturn. L. 1. At Maff. Gem. Fig. Vol. II. fol. 27, Solem refert saepe sub imagine syderis radiorum octo praemonstratum fuisse. De his disseruit doctissimus Millin (Monuments antiques inedits) ad gem. Sept. Severi Vol. I. fol. 178.

(2) Iablonsk. Panth. Aegypt. Proleg. cap. 14.

(3) Iul. imperat. Orat. 5. de Sole.

fuit documentum, ut vir doctrina ad miraculum imbutus Iablonskius ostendit (1).

Sed de antica satis; in postica vero, literarum circuli medium tenet IAΩ, Numen illud scilicet Basilidianorum, quod in primo coelo regnare dicebant, ut Irenaeus, quem doctissimi scriptores sequuti sunt, testatur; *in primo quidem coelo est* IAΩ *princeps* (2), qui in illo Propatoris triangulo continebatur. *Gnostici enim*, profert Kircherius, *principium rerum omnium triunum*, *Ialdaboth*, *id est Patrum Genitorem*, *vocabant*, *eumque sub tribus portentosis nominibus Abraxas*, *Iao*, *Sabaoth denominabant* (3): atque hanc confirmarunt sententiam viri in hoc genere laudis exercitatissimi. Quod vero durissimas excitavit controversias, huius fuit nominis interpretatio; multi etenim cum Kircherio, Montfauconio, Ebermayero, aliisque, firmissimis contenderunt argumentis, nomen illud ex venerabili, augustoque tetragrammato יהוה corruptum prodiisse.

(1) Panth. Aegypt. Proleg. cap. 15.

(2) Iren. Contra Haer. L. 1. cap. 4. 21. et 30. Tertull. Adv. Valent. cap. 14. Origenes, Epiphanius, Theodoretus, etc.

(3) Arithmom. fol. 172.

Sunt vero qui Apollinis Clarii oraculo praecipue innixi, nomen ΙΑΩ Ethnicis quoque proprium, atque in eorum theologia Soli etiam consecratum fuisse confirmant. Sed nolo cum tot celebratissimis viris in arenam descendere; de hoc enim summâ, qua fieri potuit, doctrinâ disseruerunt Isaacus Beausobre (1), Ludovicus Cappellus, Fullerius in Sacris Miscellaneis, Bochartus (2), Gatakerus in dissertatione de Nomine Tetragrammato, et supra omnes Cornelius Labeo in libro, cui titulus est *de Oraculo Apollinis Clarii*, aliique laude etiam dignissimi. Sed negat omnino clarissimus Iablonskius, Numen ΙΑΩ *apud Graecos, aut alios Gentiles in sacris ipsorum domesticis, usu qualicunque receptum fuisse* (3); et oraculum Apollinis Clarii Gnosticis tribuens, nomen ΙΑΩ in illorum tantummodo theologia coërcet, ideoque ex sanctissimo tetragrammato omnino depravatum fuisse contendit.

(1) Hist. Manich. Vol. II. fol. 59.

(2) Geogr. Sacr. P. II. L. 1. cap. 18. V. et Pearson. (Exposition Of The Cred). Div. Augustin. in Consens. Evangel. ubi Varronis sententiam refert, aliosque.

(3) Iablonsk. Panth. Aegypt. Vol. I. fol. 251.

Iudicium fortasse cunctis praeferendum, atque illa quidem doctrina, quae suis in scriptis renidet profertum. At nisi tanti viri nos merito deterreret auctoritas, Apollinis deinde Clarii oraculum pie nimis interpretari contendentem, haud prope forsitan veritatem tenuisse, et Gnosticorum impietatem, sacrosanctae religionis legibus supra modum inhaerentem induxisse, fateremur. Utcunque vero res se habeat, minime dubitandum est, Basilidianos nomen ΙΑΩ ex Hebraeorum doctrina excepisse, et Aegyptiae, suaeque theologiae μυστηρια adeuntes, Deum a vero Numine toto coelo diversum effinxisse.

Sed expendamus modo, quid reliquae literae amuleti circulum occupantes sibi velint. Et re quidem vera, liceat mihi hoc in primis fateri, nihil certi de illis adfirmare audeam; quod tamen nobis in tanta verborum barbarie magis verisimile visum est, illud proferamus iudicium. Sic itaque ante omnia literas dispouentes, ΑΩΖΗ ΑΘΕ ΑΑΘΩ ΒΑΡΡΑΒΑ, ΤΡΗΕ ΑΤΤΑ ΕΗΩΑ, hanc illis significationem apponemus: ME SERVET UTINAM IMMACULATA POTENTIA PATRIS, TUQUE IN EXCELSIS POSITE PATER IEHOVA. Nequaquam fortasse quispiam negabit, verbum ααζη pro σαζη a sculptoribus fuisse positum: ἀθε vero pro ἰάθε Grae-

cos scripsisse, testimonium perhibet Suidas. Nihil inde obstare censendum est, quin vocem βαρραβα ex βαρος et αββα derivatam probemus: βαρος enim, refert modo memoratus Suidas, poni etiam ἀντι του την ἰσχυν, in significatione scilicet *potentiae*, et vox αββα apud Graecos quoque usitatissima fuit (1). Notum est itaque in theologia Basilidiana, Principium illud *triunum Ialdaboth*, quod in tribus iam nominibus divisum extitisse conspeximus, *filium edidisse* νουν *in figura serpentis*, *qui mundana omnia generavit* (2). De quo Irenaeus agens, *esse quemdam*, adfirmat, *in supremo illo archetypo*, *qui nec oculis cerni*, *nec voce ulla nominari queat*, *perfectum*, *et supremum Aeonem*, *omnibus praeexistentem*, *quem* νους *dicebant*. Atque hoc Basilidianorum Numen nihil aliud erat, nisi Mens infinita, et

(1) Βαρραβα, ait Passerius in Mus. Gor., *filius Patris*, *nomen ex Syriaco depromptum*, *ad admirationem conciliandum*. Scilicet ex ברא (βαρα) *creare*, *et* אבא (ἀββα) *pater*. Utrumque ex sententia.

(2) Epiphan. L. 1. cap. 34, ubi ex Basilidis theologia sic Numina Gnosticorum ponuntur. 1) ὁ μονος πατηρ πατηρ, 2) νους· 3) λογος, 4) φρονησις, etc. Atque Irenaeus L. 1. cap. 23, νουν primo ab innato natum patre testatur.

aeterna Aegyptiorum, aliarumque gentium, ex cuius sapienti consilio omnia pendebant, et disponebantur; quae omnia permeabat, et continebat, quaeque aut purissimo in aethere degens, aut aether ipse erat, atque Νηιθ apud Aegyptios, apud Graecos Ἀθηνᾶ, Minerva apud Latinos vocabatur. *Dea haec*, ait Iablonskius de Pallade loquutus, *erat aeterna mens, quae materiam disposuit, exquie ea omnia creavit, quae de rebus omnibus prudenter decrevit, omnia sapienter ordinavit, atque cunctis rebus providet* (1). Propterea *immaculati* proprietas, quam summo Gnosticorum patri maxime consentaneam, in alterius geminae expositione perspeximus, etiam summi patris filio apprime convenire videtur: cum enim Basilidianorum νους Mentem antiquorum aeternam, sive Minervam significaret, haec purissimae virginitatis munere a vetustate donabatur, ἡ δὲ ἀκηράσια ἀυτης, ait Phurnutus (2), τοῦ καθαροῦ καὶ ἀμιάντου συμβολον ἐστι· τοιουτον γαρ τι ἡ ἀρετη. Atque insuper simillima erat patris imago, ut quidquid perfectionis, virtutisque esset in illo, in filia etiam effulgeret;

(1) Panth. Aegypt. L. 1. cap. 3. §. 2.

(2) De Nat. Deor. cap. 20. *Illius virginitas puritatis, et integritatis symbolum est; est enim virtus pura.*

. . . . ἔτι μοῦνα Ζεὺς τογε θυγατεραν

Δωκεν Ἀθηναιᾳ πατρωΐα παντα φερεσθαι (1)

scripsit Callimachus; imperiumque supra homines, Deosque illi quoque cum Iove pariter tradidit Homerus;

Τῷι γαρ ἀν νεφεεσσι κεκαλυμενῳ, ὅτε και ἄλλοις

Ἀνδρασι τε κρατεουσι, και ἀθανατοισι θεοισιν (2).

Atque illud etiam βεβαιωτικὸν, *patris* scilicet *potentia*, ut nobis interpretari visum est, adeo antiquorum sententiis confirmatum aspicio, ut iam mihi nullus dubitandi locus de hac explicatione superesse videatur; σχεδον γαρ δυναμιν του Διος ἁπασι λεγων τις αὐτην ἐκ τουτων, οὐκ ἂν ἁμαρτανοι (3), testatur Aristides, ut Porphyrii sententiam praeteream, qui *Solis vim*, *potestatemque* Palladem vocat. Et ni fallor, *vis haec Solis*, *atque potestas* in Abraxaea quoque gemma, a clarissimo Ebermayero (n. 441) relata, ΙΟΥΙΟΥ ΩΙ-

(1) Callim. in Pallad. Lavacr. v. 133.

. . . etenim soli Iupiter hoc filiarum
Dedit Minervae, ut omnia patria ferat.

(2) Odyss. L. ω. v. 264. *Alte in nebulis sedentes, qui et aliis viris dominantur, et immortalibus Diis.*

(3) Hymn. in Minerv. fol. 30. etc. *Si quis enim ex his Iovis potentiam esse Minervam dixerit, haudquaquam falletur.*

ΟΥΝΥ ΥΟΟΥΩ ΩΝΙΟΥ, *Domini* scilicet *fortitudo aeterna*, exprimi videtur, symbolis genimae insculptis nihil huic conjecturae adversantibus. Quod si hoc nostrae etiam religionis dogmatibus explicare non pigebit, νουν cum Irenaeo Christum vocabimus, eumque *Domini brachium, Deique potentiae dexteram*, saepissime in sacris scripturis appellatum inveniemus. Sed adeo Basilidiani sanctissimi Servatoris nostri μυστηρια suis implicuere mendaciis, adeoque inverterunt, ut ad hanc aegre nimis sententiam descenderem.

Restat, ut aliquid de ΥΡΗΕ dicamus, quod pro ουρειε, sive ὀρειε positum contendimus, non sine gravissimo Passerii testimonio, qui in gemma septima *Sycophantine Magicae* eamdem vocem υρος pro ουρος interpretatur: saepissime enim Basilidiani Y sive V pro ΟΥ utebantur, ut passim in eorum gemmis occurrit (1): atque id ab Aegyptiis fortasse etiam

(1) Montfauc. Pal. Gr. fol. 338. de forma litere Y. *Hac forma V in numo Gr. Byzantii perantiquo, et in gemmis Basilidianorum.* Rasch. Dict. Num. Vol. IV. P. II. ΣΟΥ mutatum in CV. κυριε ΔΥΑΟ CV, pro κυριε βοηθει δουλω σου, *Domine adesto servo tuo.* Conf. Iobert. Science de Med. Vol. I. fol. 136.

exceperunt, qui, teste Hellanico apud Plutarchum, Osiridem ουσιριν, quasi ουσιριν, appellabant, eâ inflexione, qua Graecum υ pronunciabatur (1) : et pro Μεθουερ Isidis cognomine, μεθυερ scribit ipse Plutarchus (2). Neque obstat ουρηος pro ουρειος exaratum fuisse, namque huiusmodi immutationes in antiquis monumentis saepissime inveniuntur (3). Nomen denique *Iehova* innumeris ferme modis ab imperitis sculptoribus corruptum, in amuletis quamplurimis videre est. Nihil igitur nostra haec gemma exhibet, nisi magicum salutis amuletum, invocationem Dei Gnosticorum omnipotentis, filiique purissimi continens. Sed haud est observatione prorsus indignum epitethon ὁρηος summo Deo Iehovae, sive Iao, coniunctum : ὁρειος enim Bacchi cognomen erat apud antiquos, de quo sic Festus, *Oreos Liber pater* . . .

(1) Thes. Epist. La-Croz. Vol. III. fol. 159.

(2) Atque insuper addere liceat Aeolum fuisse proprium ο longum, vel parvum in υ immutare, hinc pro ὀνομα, ὀνυμα, pro ορηος, ουρηος. V. Eustath. ad Hom. fol. 27. et 631. Spanhem. ad Callimach. Hymn. Cer. v. 58. Hinc legi quoque potest ὁρηος.

(3) Pro ϗατερα dicebatur ϗατηρα; pro ϗατηρ, ϗατερ, *nam veteres η, et ει diphtongum, ut ι pronunciabant.* V. Placent. Pal. Gr. fol. 128, aliosque Palaeologos.

appellabatur, nam in montibus frequenter appareret (1). Quod Passerii sententiam confirmare videretur, Iao scilicet nihil aliud esse, nisi Bacchum, atque inde nomen *Iacchum* defluxisse, alterumque Bacchi cognomen HYES (2). Neque hic praetermittendum est, Apollinem etiam Horium cognominatum fuisse, ut ex Pausania colligitur; *Horium* enim, inquit, *quamobrem appellent, nihil pro certo habeo dicere: coniectura adducor, finibus, vel armis, vel iure potitos, Apollini Horio, hoc est ac si terminatori dicas, vota solvisse.* Atque inter Graecos (3) celeberrimum fuit Iovis illud cognomen

(1) Fest. Fragm. fol. 16. v. ult.

(2) Passer. Thes. Gor. Vol. III. fol. 87.

(3) Cic. in Verr. L. 4. cap. 57. *Quid? ex aede Iovis religiosissimum simulacrum Iovis imperatoris, quem Graeci ὅρριον nominant, pulcherrime factum, nonne abstulisti?* Vir Cl. Brodaeus hunc vitiatum esse Ciceronis locum testatur, et Demosthenis, Dionys. Hal. atque Arriani exemplis, Iovem ὅριον, sive ὅρριον *finium praesidem* significare demonstrat, neque hoc pacto *imperatoris* nomini assentiri contendit. Sed Tullii interpres praestantissimus Paul. Manut. utriusque nominis affinitatem patefacit, *quod qui terminis praecesset, imperare, et arcere finitimos ab iniuria videretur, non enim praecesset, nisi imperandi ius haberet.* Atque post tanti viri sententiam, prolixioribus argumentis demonstra-

ὄρτον, sive ὄυριον, de quo loquutus est Cicero in Verrem, quodque *finium*, *limitumque praesidem*, vel

---

vit Laelius Bisciola, Hor. Subsec. L. 11. cap. 14. quod Graeci a *terminis*, Latini ab *imperio*, *quod habebat in terminos*, Iovem ὄυριον nuncuparint. Verum nihil opus indiciis videtur: ὄυριος custos est et inspector, servator et rex, neque aliunde petenda est *imperatoris* interpretatio, nisi ex ipso nomine ὄυριος, ut ab eodem auctore probatur. Το ὄριον του Διὸς του ὀυριου ἔτυχε ἀπο Βυζαντιου σταδιοις εἰκοσι και ἑκατον. *Fanum Iovis Urii a Byzantio distat centum et viginti stadia*, ait Arrianus εν περιπλω Ponti Euxini, ubi eruditissime Stuchius multa de hoc templo, atque Numine congerit. *Graece*, inquit, ὄυριος *ventus dicitur secundus* etc. *Iupiter itaque hic dictus est* ὄυριος, *quasi venti secundi dator* etc. *Forsan etiam sic dictus fuit ab* ὄυρεσι *idest montibus*, *in quibus Iovem* ἱκμαιον, *Ethesiarum datorem*, *a Cois cultum fuisse*, *Apollon. L. 2. testatur*, *quamvis in universum Iovem in montibus cultum fuisse legimus.* Inde Apollonii, atque Diodori (L. 4. cap. 24) auctoritate fretus, narrat templum hoc in ore Ponti strictissimo positum fuisse ab Argonautis Iovi ὄυριῳ, ut ipsis placaret Ethesias, ventosque secundos daret. Hoc etiam apud Pomponium legere est (L. 1. cap. 19). *Europam*, ait ille, *ab Asia stadiis quinque disterminat Thraeius Bosphorus. Ipsis in faucibus oppidum*, *in ore templum est. Oppidi nomen Chalcedon; templi Numen Iupiter*; *conditor. Iaso.* Ad quae multa Vossius erudite disserit, Stuchii sententiam de pluribus Diis in templo, atque diversis conditoribus se-

potius *venti secundi datorem*, clarissimi interpretes explicarunt. Si vero quisquam illud ὄυρης ex ὄρθιος (1) ducere potius vellet, ideoque *Pater Ie-*

---

quutus: non omnes enim Iovi tantum ὄυριος positum hoc templum, multique (Dionys. in Anaplo, Herodot. aliique) Phryxum, aut Phryxi posteros, templi conditores fuisse scripserunt. Petrus Gyllius de Bosphoro Thracio L. 3. cap. 5. rem his omnibus consentaneam describit, et quaecunque ad hoc argumentum pertinent, in unum componens, Iovemque ὄυριον venti secundi datoris interpretatione respiciens, historiam templi, eiusque conditorum intexit. Simulacri, quod hoc erat in templo, Dionysius in Anaplo Bosphorico exhibet descriptionem. Iuvat hic denique elegantissima Tullii verba de Iovis ὄυριου signis referre. *Tria ferebantur in orbe terrarum signa Iovis imperatoris* (ὄυριου) *uno in genere pulcherrime facta. Unum illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus*, (de hoc Livius L. 6.), *alterum in Ponti ore, et angustiis, tertium quod Syracusis ante Verrem Praetorem fuit*, etc. Templum inde Iovis Urii a L. Pisone expoliatum Tullius ipse adfirmat. *A te Iovis Urii phanum antiquissimum barbarorum, sanctissimumque direptum est.* In L. Pis. cap. 35. Qui plura quaerit, adeat Stuchium, Gyllium, Vossium, etc. in locis citatis, immo et Polybium L. 4. cap. 39, ubi de Bosphoro Thracio. Ciceronis quoque commentatores multas huiusmodi sententias referunt.

(1) In gemma a doctissimo Kircherio relata, Arithmom. fol. 178. legitur μαχιμ ου σαβαω, quod pro μαχαιρ ου σαβαω interpretatur Kircherius.

hova formosissime, pro *pater in excelsis posite* exponet, nihil enimus certe adversaturi.

Sed iam duobus modo perlustratis prioribus, ad tertium accedimus amuletum, in quo exponendo, ne nostras, vir praeclarissime, quisquilias, quibus te satis superque detinuimus, expectes; habemus enim, cuius gravissimum hic referamus testimonium, immortalem Passerium, qui Goriani Thesauri tabulam explicaturus, hoc de simili fere gemmia profert iudicium. » Imago Ophiuchi, quâ ametystus » iste ornatur, globoso astro supra caput insignitur, » eâ prorsus formâ, quâ saepe diximus tardiores » stellas, frigidioresque fuisse figuratas. Ceterum qui » in priore gemma Planciana supra caput lothio ità » ornatur, ut quodammodo Horum referat, heic » alis Mercurialibus insignitur . . . . . Hanc vero » serpentarii imaginem praesidio esse adversus vene- » na, diximus in observationibus ad tabulam CXCV, » ubi Camilli Leonardi auctoritatem adduximus. » Nunc ex eiusdem penu duo alia notanda sunt, » quae huic typo nostro egregie conveniunt: sic » ille circa finem operis. *Figura hominis tenentis laurum, seu palmam in manu dextra portantis, efficit causarum, et praeliorum victorem, amabilem,*

ac potentem in regione sua constituit. Hominis alati figurâ, habentis sub suis pedibus serpentem, et tenentis caput eius in manibus, divitem, prudentem, et amabilem ab omnibus gestantem efficit.

» Quid hac auctoritate aptius reperiri poterat ad » hoc amuletum explicandum? Nam haec imago » et ipsâ alatâ est, cum Mercurii more pinnulis » caput ornatum habeat. Lemmata vero per singula » membra disposita, si vocem ΙΑΩ excipias, haud » perspecta mihi sunt. Duplex, quae in serpentis » dorso dictio notatur ΑCΗΙΝΘ, aliquam cum Grae- » corum ἄκος adfinitatem habet, qua incorruptum, » atque intactum vermibus significatur, adversus » quorum morsus, ceterorumque serpentium anima- » lium haec amuleta adparabantur.

Hactenus summa Passerius eruditione: liceat vero quidquam ad haec addere, sive a Passerio praetermissum, sive in nostra gemma diversum. Basilidiani enim, genus magorum ineptissimum, sua saepissime amuleta multiplicantes, aliquod peculiare signum unicuique apponebant, quodcunque scilicet illa gestantibus magis convenire videbatur. In primis quidem astrum illud globosum, quod in gemma Passeriana supra caput serpentarii con-

spicitur, deest in nostra; et in eius pectore, cinctu, et ventre, non Ιαω tantum, sed Ιαω Σαβαω apertissime legimus, quod pro σαβαωθ Gnosticorum gemmis insculptum frequenter inspicitur. Erat autem σαβαωθ idem ac צבאות, Deus nimirum exercituum, sive potestatum, tertium Basilidianae Trinitatis Numen (1) ex Ιαω procedens; de quo haec Epiphanius (2): *Eum enim referunt, quia patre primus sit, Ialdaboth vocari, eum autem, qui sit ab eo, Iao, et qui ab eo Sabaoth magnum*, quem septimi coeli principem fingebant, ut hisce verbis Irenaeus adfirmat: *In primo quidem coelo esse Iao principem... in sexto Ialdaboth, in septimo Sabaoth constituunt. Sabaoth autem dicunt formam habere porci, sive asini.* Et clarissimus inde testatur Ebermayerus Deum Christianorum omnipotentem, inter angelos positum, hoc Basilidianos nomine expressisse; *Postremus illorum praesidum nomine Sabaoth, ipse est Iudaeorum Deus longe reliquis praefractior* (3):

(1) V. apud Kirch. Arithmom. cap. 1. Basilidis αβρασαξ, Ιαω, et σαβαωθ.

(2) Epiph. L. 1. cap. 34.

(3) Eberm. Capita Deor. fol. 219.

quamquam non omnes ita sentiant, adfirmentque Basilidem, verum Numen pro principe angelorum coeli tercentesimi sexagesimi quinti habuisse (1). Literae vero, quae in reliquis serpentarii membris observantur, nil aliud esse puto, quam initialia elementa virtutum, quorum nomina toto in imaginum corpore apud Basilidianos inscripta habebantur, ut refert Epiphanius (2): *Deinde hinc homo habet tercentum sexagintaquinque membra, et unicuique virtutum adtribuitur unum membrum.* Quapropter coeli omnes, quos Basilides effinxit, totidem humani corporis membris respondebant; cumque in arctissimo spatio omnia virtutum nomina exarari impossibile esset, illa insculpebant, quibus indigere videbatur, qui gestabat imaginem, quemadmodum animadvertit Baronius (3); quaeque extat inter Passerianae, nostraeque gemmae literas differentia, hoc etiam confirmare videtur. At si potius Irenaei sententia de literis humana membra signantibus adoptanda est, haec ille de Marcionitis me-

(1) Iren. L. 1. cap. 23, aliique.
(2) Ad Haeres. 24.
(3) Annal. ad ann. Chr. 120. §. 16.

morat (1): *Vide quid igitur in caput eius sursum, primum* α *et* ω, *collum autem* β *et* ψ, *humeros cum manibus* γ *et* χ, *pectus* δ *et* φ, *cinctum* ε *et* υ, *ventrem* ζ *et* τ, *verenda* η *et* σ, *femora* θ *et* ϱ, *genua* ι *et* ϟ, *tibias* κ *et* ο, *crura* λ *et* ξ, *pedes* μ *et* ν. Quibus totius alphabeti literis, addit Kircherius, *inferiores mundos in archetypo Propatoris sive Ialdaboth contineri innuebant* (2). Sed non omnes in imaginum, quas modo descripsimus, membris literae positae sunt, quod praestare forsan videtur argumentum, non eumdem semper ordinem in illis signandis gemmarum opifices tenuisse; atque hoc, sive ineptissimis magorum consiliis, sive sculptorum fuerit incuriâ effectum, definire nequimus.

Sed dictio denique ΑΜΑΡΩΜΑ, in eiusdem gemmae posticâ exarata, iure sibi vindicat explicationem: non enim eam in gemma, cuius iudicium retulimus Passerianum, vir attigit ille doctissimus; in *Sycophantia* vero *Magica* (3) voces αμαξαμα, atque αμορο explicaturus, sic interpretatur, *forte* ex αμον, et

(1) Div. Iren. L. 1. cap. 10.
(2) Arithmom. fol. 173.
(3) Sycophant. Mag. n. 20. et 33.

ερον *aliquid amabile*. Quam Passerii explicationem nullo pacto redarguere ausi, alteram quoque dare tentabimus, magis fortasse veritati propinquam. Et re quidem vera nihil aliud arbitror esse ἀμαρ, nisi vocem ἡμαρ *dies*, etiam adverbialiter positam, consuetissimâ primae literae immutatione, atque αμα ex ὁμμα deformatum fuisse, cuncta mihi suadere cogunt: quapropter totum illud αμαραμα *diei lumen*, sive *oculum diurnum* significare videtur. Aegyptii enim Solem Iovis oculum nuncupabant, ideoque, siquando eum hieroglyphica scriptura figurare volebant, oculum insculpere consueverunt (1). Hinc ἀιανιον ὁμμα *oculum aeternum*, Solem vocavit Orpheus; ὁμμα ἀιθερος *aetheris oculum*, Aristophanes; ὁμμα τηλαυγες *oculum ex alto splendentem*, ipsius de se Serapidis oraculum; *oculum mundanum*, Martianus Capella; interque omnes elegantissime Ovidius, sic Solem inducens loquentem;

Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus, mihi crede . . (2),

(1) Pier. Valer. Hieroglyph. in Ocul. cap. 33, et Macrob. Saturn. L. 1. cap. 2.

(2) Metamorph. L. 4. v. 226.

quam Basilidianos quoque sententiam in sua theologia retinuisse, memoratae gemmae inscriptio satis etiam confirmare videtur.

Habes iam, vir praeclarissime, quaecunque de gemmis mihi concessis censeo; utinam ea vera sint, tuumque sapientissimum iudicium facile, dexterumque experiantur! Si vero tantum mihi sperare audacia est, non illa profecto, nisi e tua benevolentia exoritur, animumque nostrum certissimo hoc duce excitat, confirmatque; quod si tibi haud ingratas meas hasce observationes esse significaveris, omnem utique desiderii mei expectationem explebis.

A S. E. R.

MONSIGNOR COLANGELO

PRESIDENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Il Tipografo Angelo Trani desidera stampare l'opera, che ha per titolo: *De tribus Basilidianis Gemmis, Iosephi Marchionis Tacconii, etc.* ed a tale oggetto domanda il convenevole permesso.

Il Regio Revisore Signor D. Angiolantonio Scotti, abbia la compiacenza di rivedere l'opera soprascritta, e di osservare se vi sia cosa contro della Religione, o de'dritti della Sovranità.

M. COLANGELO.

EXCELLENTISSIME AC REVERENDISSIME PRAESUL

Disquisitio de tribus Basilidianis Gemmis, quam Marchio Iosephus Tacconius naviter elucubratus est, nihil omnino continet, quo Catholica Religio, aut Maiestatis iura laedantur. Quod ad me, in ea perlegenda non mediocri voluptate perfusus sum, prae se fert enim eruditionem peregrinam eleganti stylo exornatam, lectoresque ad arcana Basilidianorum detegenda feliciter ducere videtur. Ipsam itaque publica luce donandam censeo, nisi sapientia tua, amplissime Praesul, hac de re aliter iudicaverit.

Neapoli Prid. Non. Dec. MDCCCXXIV.

Regius Librorum Censor
ANGELUS ANTONIUS SCOTTI.

Napoli li 14 Dicembre 1824.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Veduta la dimanda del Tipografo Angelo Trani, con la quale chiede di stampare un'opera che ha per titolo: *De tribus Basilidianis Gemmis, Iosephi Marchionis Tagconii, etc.*

Veduto il favorevole rapporto del Regio Revisore Signor D. Angiolantonio Scotti.

Si permette, che l'indicata opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all'originale approvato.

Il Presidente
M. COLANGELO.

Il Segretario generale, e Membro della Giunta
LORETO APRUZZESE.

VAI 1511003

KAMBPACAZ
ZAGARBALOVI
XITOK
ZONECTO



AM
A P
WM
A